Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [1]

INSCRIPTIONES GRÆCÆ PALMYRENORUM,

cum

Scholiis & Annotationibus

EDWARDI BERNARDI

ET

THOMÆ SMITHI.



TRAJECTI ad RHENUM,

Apud FRANCISCUM HALMAM, Acad. Typogr. cIↃ. IↃ. c. xcviii.

383 K 16 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

LECTORI

THOMAS SMITHUS S.

UT melius edoceare, erudite Lector, quo felici caſu quibuſque auſpiciis ſequentes Inſcriptiones e tenebris, in quibus per multas annorum centurias latuere, tandem in publicam lucem eruantur, pauca hic in veſtibulo, antequam in adyta ſis admittendus, præfari omnino neceſſarium duco.

Cum Angli mercatores, viri egregii & nobili proſapia oriundi Halebi (veterum Græcorum Chalybonis) in Syria commorantes, frequenti cum Arabibus cæteriſque nobiliſſimi totius Orientis emporii civibus, vicinæque regionis incolis converſatione habita, Tadmoræ, (ita enim Palmyra, recuperato vetuſtiſſimo nomine, hodie nuncupatur) ſex dierum itinere verſus carbam diſſitæ, rudera, veteris illius magnificentiæ & ſplendoris admirandas plane reliquias, adhucdum exſtitiſſe intellexiſſent, ex iis non pauci laudatiſſimo ea videndi deſiderio incitati, pro amore literatæ Antiquitatis, communicatis iſtam urbem Europæis incognitam adeundi conſiliis, iter iſtud, a quo aut viarum per inhoſpitam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

eremum difficultatibus, aut periculis ex inſidiis latronum, qui in quoſvis illorum latibula abditoſque receſſus audaci pede ingredi auſuros graſſantur, neutiquam erant abſterrendi, magno animo ſuſceperunt. Hoc factum erat menſe Julio A. Ch. M.DC.LXXVIII. *Sed perfidia Melkami, Arabum, qui iſtis locis inſidebant, Reguli, propoſitum illud in irritum plane cedebat. Ille enim vir animo agreſti & effero, cauſſatus neminem e gente Francorum eo uſque in ſecretiora deſerti antea penetraſſe, jamque viis inviis per quas ad Tadmoram eundum ſit, cognitis & exploratis, facile fore Turcis, illis monſtrantibus, armatos milites ad illos perdendos immittere, duos e comitibus, quos pro more cum muneribus ad ipſius gratiam aucupandam præmiſere, morte intentata, tanquam captivos apud ſe detinuit, cum reliquis quoque prælium initurus, niſi illorum vitam ſeque ab imminente periculo, bis mille thaleris datis, cum duplum latro iſte primo expoſceret, hiſce anguſtiis conſtituti, redemiſſent. Inde moeſti receſſere, ſolis oculis quaſi eminus raptimque iſta rudera luſtrare, abſque aliqua diligenti indagine contenti: cum Arabibus, licet jam placatis, ob violatam fidem, vix eſſet tuto fidendum. Sed tantæ perfidiæ aliorumque flagitiorum, quorum manifeſtus*

tene-

tenebatur, pœnam poſtea luebat barbarus iſte Emirus, ab Halebenſi Præfecto, quem Baſſam nuncupant, ſtrangulatus.

Tandem vero igneus ille mentis vigor, cui malorum, quæ paſſi ſunt, cum memoria frigidam affudiſſet, redaccendi cœperat, præſertim cum favore Huſæini, Arabum, qui longe lateque immanes illas ſolitudines incolunt, Principis, quendam e ſuis, viæ ductorem, & Tadmorenſibus bene cognitum, in majorem ſecuritatem obtinuiſſent. Qua ſpe & fiducia erecti fretique, iter iſtud ineunte Octobre. A. Ch. M. DC. XCI. *denuo inſtitutum, favente divina providentia auſpicatiſſime abſolverunt. Itineris hiſtoriam, una cum Palmyræ notitia, in qua ſequentes Inſcriptiones continentur, deſcripſit vir reverendus, Guilielmus Halifaxius, mercatoribus Anglis a ſacris, & Collegii Corporis Chriſti apud Oxonienſes Socius, quam ad Virum eruditiſſimum D. Bernardum tranſmittendam curavit, hic vero ad me, ut Actis Philoſophicis Regalis Societatis Londinenſis inſereretur, ne cultiorem Europam diutius laterent hæc tam venerandæ antiquitatis, quæ nondum edacitas temporis, aut terræ motus, aut Arabum Turcarumque barbaries penitus abſumpſerant, monumenta. Annuerunt citra moram Viri Clariſſimi, quibus illa Acta condendi cura*

 de-

demandata eſt, & cimelium hoc, licet argumenti ab inſtituto ſuo paulo alienioris primo intuitu eſſe videretur, incomparabili iſti obſervationum Philoſophicarum & Mathematicarum theſauro adnumerari facile paſſi ſunt. Nolo autem vel compendio ea referre, quæ majori cum fructu & delectatione fuſe ex iſtis Actis petenda ſunt: mihi enim ſola res eſt cum Inſcriptionibus, quas felix D. Halifaxii diligentia quatriduo, dum illic moratus eſt, inveſtigando detexit. Errores inter exſcribendum admiſſos, nemo, qui characteres in marmoribus, temporis injuriam paſſis, aut exciſos aut exeſos & plane evanidos fuiſſe in mentem revocaverit, illi abſque injuſtiſſimi cenſoris infamia exprobrare poteſt. Potius laudibus, quas meretur, cumulandus eſt, quod haſce eruditæ antiquitatis gazas, tanto cum labore & impendio recluſas, orbi literario liberali manu impertitus fuerit.

Hujus autographum quum primum perlegerim, D. Bernardum rogavi, ut in haſce Inſcriptiones commentariolum adornare vellet. Quo minus conſilium hoc meum facili aure tunc temporis exceperit Vir amiciſſimus, qui æquum poſtulanti pro amore, quo erga me ex conſuetudine & familiaritate ab ineunte juventute noſtra ultra novem annorum luſtra continuata orto ferebatur, morem gerere ſolitus erat;

obſtabant tum ſtudia longe diverſi generis, quibus diſtinebatur, tum maxime ægritudo, qua laborabat. Mox vero otium nactus, & a morbo paulo recreatus, ſe expugnari iteratis precibus meis paſſus eſt. Quod conſulto feci, ſatis gnarus, neminem aut feliciori ingenio, aut ſagaciori judicio, aut ſolidiori eruditione, quicquid obſcurum aut intellectu difficile in iſtis marmoribus occurrebat, explicaturum. Quod vero ſchediaſmata hæc publici juris non fierent, vel ante ſuſceptum iter Hollandicum, vel poſt ipſius reditum, dum in vivis eſſet, multa interceſſere, quæ nunc celabo. Paucis ante obitum diebus illa ad me tranſmiſit Vir optimus, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, *ut una cum meis in eadem marmora Palmyrena annotationibus (ita enim moriens ſtatuebat) tandem aliquando luce publica donarentur. Norat enim me quippiam hac ex parte pridem molitum fuiſſe, ſi per illum, ſi per alios, qui iſtam gloriam laudemque præripere, ſi qua manet, magno niſu contenderunt, id liceret. Veruntamen fortaſſe, quod hic non invitus, imo maxima cum lubentia fatebor, ab iſto labore, ut ut tenui & perpuſillo, tanquam inutili & ſupervacaneo abſtinuiſſe debueram: & omnino puduiſſet iſti purpuræ hoſce laceros pannos attexuiſſe, niſi affectus erga optimum amicum, qui id voluit, cujus memo-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

ria ſemper apud me ſacra erit, juſſiſſet, ut ipſius famæ poſthumæ & nunquam intermorituræ, dum ſtabit Oxonium, (ſtabit autem in æternum) vel ſuſque deque habita propria, velificarer. Inſcriptiones a me quoque Latine pridem converſas longe alio ordine, quod hic præmonendum duco, poſueram, quem, ne moleſtia in inveſtigandis annotatis Lectori oriretur, mutavi, ut numeris Bernardinis pariter reſpondeant. Quod vero jam conjunctim prodeant, totum illud, quantum quantulumcunque eſt, Viro Clariſſimo & Doctiſſimo Theodoro Janſſonio ab Almeloveen, Literaturæ politioris Harderovici in Gelria Profeßori, utriuſque noſtrum communi amico, acceptum referendum eſt, & cui, poſt D. Bernardum τὸν πάνυ, *gratiæ, ſi quippiam inde animo tuo adlubeſcat, tuiſve ſtudiis inſerviat proſitque, merito debebuntur.*

Plin. Nat. Hiſt. lib. v. *cap.* 25.

Palmyra urbs nobilis ſitu, divitiis ſoli, & aquis amœnis, vaſtos undique ambitu arenis includit agros, ac velut terris exempta a rerum natura, privata ſorte inter duo imperia ſumma Romanorum Parthorumque, & prima in diſcordia ſemper utrinque cura. Abeſt Seleucia Parthorum, quæ vocatur ad Tigrin, CCC. XXXVII. M. Paſſ. a proximo vero

Sy-

Syriæ litore CCIII. M. & a Damaſco XXVII. propius.

Joſephus Antiquit. Judaic. lib. VIII. *cap.* 2.

Ἐμβαλὼν δὲ καὶ εἰς τὴν ἔρημον τὴν ἐπάνω Συρίας, καὶ κατασχὼν αὐτὴν, ἔκτισεν ἐκεῖ πόλιν μεγίστην, δύο μὲν ἡμερῶν ὁδὸν ἀπὸ τῆς ἄνω Συρίας διεστῶσαν, ἀπὸ δ' Εὐφράτου μιᾶς, ἀπὸ δὲ τῆς μεγάλης Βαβυλωνίας ἓξ ἡμερῶν ἦν τὸ μῆκος. Αἴτιον δὲ τοῦ τὴν πόλιν οὕτως ἀπὸ τῶν οἰκουμένων μερῶν τῆς Συρίας ἀπῳκεῖσθαι, τὸ κατωτέρω μὲν οὐδαμοῦ τῆς γῆς ὕδωρ εἶναι, πηγὰς δ' ἐν ἐκείνῳ μόνῳ τῷ τόπῳ εὑρεθῆναι καὶ φρέατα. Ταύτην οὖν τὴν πόλιν οἰκοδομήσας καὶ τείχεσιν ὀχυρωτάτοις περιβαλὼν, Θαδαμόραν ὠνόμασε, καὶ τοῦτ' ἔτι νῦν καλεῖται παρὰ τοῖς Σύροις, οἱ δὲ Ἕλληνες αὐτὴν προσαγορεύουσιν Παλμυράν.

h. e.

Ingreſſus deinde in deſertum, quod eſt ſuper Syriam, ejuſque regionis potitus, urbem ibi maximam condidit, duorum dierum itinere a ſuperiore Syria diſtantem, ab Euphrate vero unius. Ad magnam autem Babylonem inde ſex dierum via protendebatur. Quare autem a reliquis cultæ Syriæ partibus hæc urbs tam procul habitetur, cauſa hæc eſt, quod mediterranea

per deſertum petentibus , ibi demum fontes ac putei reperiuntur. Hac igitur urbe extructa , & mœnibus validiſſimis cincta , Thadamoram eam appellavit , quo nomine etiam nunc a Syris vocatur. Græci Palmyram nominant.



IN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

INSCRIPTIONES
GRÆCÆ
PALMYRENORUM,

cum

Verſione Latina & Scholiis

EDWARDI BERNARDI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

D. THOMÆ SMITHO

EDWARDUS BERNARDUS

S.

QUanquam Epiſtolas tuas, O cor & medulla amicitiæ noſtræ, & alia munera grato animo in ſinum hunc recipere ſoleo; eas tamen *Notitias*, quas tuo dono hodie accepi, tanquam germanæ & famæ nunquam marceſcentis pignora, multo chariores habeo, &, dum vivam, reverenter adſervabo. Sic enim Aſianarum Eccleſiarum Pleiadas e tenebris denuo accitas: ſic antiquiſſimorum Epiſcoporum ſedes inſtauras, ut candelabrum ἑπτάλοφον cum magno Theologo & Apocalypta iterum ardens ac fulgens videre mihi videor. Præterea, in deſcriptione urbis Conſtantini Silentiarios, Codinos, Gyllios, cæteros exſuperas. Fruere diu ſuperſtes hac laude, quam ſuam

eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

eſſe maluit Sponius, & præter morem ingenuum aut fas ſibi abripere.

Gaudeo tamen mihi jam novum adeſſe munus, quod tecum queam impertire volente ſpero, & læto. Id eſt Epigrapharum Sylloge, quas a Columnis *Palmyrenis* chariſſimus Amicus, *Guilielmus Halifaxius* pulchro ſtudio deſcripſit. Utinam *Syriaca* plura ipſe addidiſſet ſub Græcis, & Epocham *Palmyrenam* a *Seleuco* victore, non ab *Alexandri* Magni obitu, incepiſſet. Hiſtoriæ vero *Auguſtæ* Scriptores qui teruntur, & *Herodianus* Grammaticus pleraſque Inſcriptionum iſtarum multum illuſtrant. Verum iſthæc vix ſunt noſtri otii. Attamen ſi hæc commiſeris *Philoſophicarum Transactionum*, ut nunc loquuntur, conditoribus, haud injucundum πρόπομα fuerit, donec vir illuſtris & adprime doctus D. *Cuperus* uberiora forte ediderit de urbe Solomonis ejuſque reliquiis. Vale Vir venerabilis.

Oxoniæ, Nonis Octobribus.
A. D. 1695.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

AD

Clariſſimum Virum

ROBERTUM HUNTINGTONUM,

EDWARDUS BERNARDUS.

B*Reves quidem has adnotationes in Monumenta ſatis rara cur Tibi ante cæteros dedicarem, Vir venerande, præter amicitiam diuturnam & ſingularem tuam eruditionem, aliæ duæ cauſæ accedunt. Ipſe enim Anglorum primus iter Palmyrenum magno certe animo & de priſca Syrorum ſcriptura ſollicito inſtituiſti; & niſi Arabes prædatores interveniſſent, ignotam illam Literaturam noſtro orbi expoſuiſſes. Reſtat adhuc argumen-*

tum

tum alterum, mihi fateor ſuave & perutile. Namque ultra ſeptingentos Codices Orientalis Doctrinæ ſumma diligentia & audaci plane impendio a Moſlemiis aliiſque Aſiæ ſectis redemiſti. Hanc ob cauſam bona ſedulitas Oxoniæ, & viri omnes, qui ſacras literas amant, & qualis obſecro Chriſtianus is eſt, qui has non amat? Tibi ſemper gratulabuntur. Vale.

MONUMENTA PALMYRENA.

In turri ſepulchrali apud Palmyram quinque tabulatorum, opere Romano.

I. pag. 108. *Philoſ. Tranſact.*

ΤΟ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΑΙΩΝΙΟΝ ΓΕΡΑϹ ΩΚΟΔΟΜΗϹΕΝ ΓΙΧΟϹ ΜΟΚΙΜΟΥ ΤΟΥ ΚΑΙ ΑΚΙΑϹΙϹΟΥ ΤΟΥ ΜΑΝΝΑΙΟΥ ΕΙϹ ΤΕ ΕΑΥΤΟΝ ΚΑΙ ΥΙΟΥϹ ΚΑΙ ΕΓΓΟΝΟΥϹ ΕΤΟΥϹ ΔΙΤ ΜΗΝΕΙ ΞΑΝΔΙΚΩ.

Monumentum hoc decus ſempiternum exſtruxit Gichus filius Mocimi, qui & Aciaſiſes, filii Mannæi ſibi ipſi & filiis poſteriſque eorum anno CCCXIIII. [a]

In turri adverſus præcedentem.

II. pag. 107.

ΤΟ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΕΚΤΙϹΑΝ ΕΛΑΒΗΛΟϹ ΜΑΝ-

A NAIOϹ

[a] A.D. 2. an. 45. Octaviani Auguſti. Malo tamen reſcribere ΔΙΥ, quod eſt A.D. 102. an. 5. Trajani, qui ante biennium Palmyram Provinciæ Syriacæ adjecerat.

ΝΑΙΟC COXAEIC ΜΑΛΧΟC ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟΥ ΤΟΥ ΜΑΝΝΑΙΟΥ ΤΟΥ ΕΛΑΒΗΛΟΥ ΑΥΤΟΙC ΚΑΙ ΥΙΟΙC ΕΤΟΥC ΔΙΥ ΜΗΝΟC ΞΑΝΔΙΚΟΥ.

Monumentum iſthoc condiderunt Elabelus, Mannæus, Sochaës, Malchas, filii Vaballathi filii Mannæi filii Elabeli ſibi & filiis anno CCCCXIV. *b* menſe Xanthico.

In templo Moſlemio apud Tibam oppidum Euphratem verſus a Palmyra pergenti.

III. pag. 109.

ΔΙΙ ΜΕΓΙCΤΩ ΚΕΡΑΥΝΙΩ ΥΠΕΡ CΩΤΗΡΙΑC ΤΡΑ. ΑΔΡΙΑΝΟΥ CΕΒ. ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΑΓΑΘΑΝΓΕΛΟC ΑΒΙΛΗΝΟC ΤΗC ΔΕΚΑΠΟΛΕΩC ΤΗΝ ΚΑΜΑΡΑΝ ΩΚΟΔΟΜΗCΕΝ ΚΑΙ ΤΗΝ ΚΛΙΝΗΝ ΕΞ ΙΔΙΩΝ ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΕΤΟΥC ΕΜΥ. ΜΗΝΟC ΛΩΟΥ.

Jovi maximo fulminatori pro ſalute Trajani Hadriani Auguſti domini ſui Agathangelus Abilenus ex Decapoli cameram exſtruxit & lectum de pecunia ſua dedicavit anno CCCCXLV. *c* menſe Loo.

Inſcriptum columnæ duodecim pedes craſſæ, altæ plus quam XLII. pedes.

IV. pag. 94.

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟC ΒΑΡΕΙΧΕΙΝ ΑΜΡΙCΑΜCΟΥ ΤΟΥ ΙΑΡΙΒΩΛΕΩC ΚΑΙ ΜΟΚΙΜΟΝ

ΥΙΟΝ

b A. D. 102. an. 5. Trajani.
c A. D. 133. an. 17. Hadriani.

ΥΙΟΝ ΑΥΤΟΥ ΕΥϹΕΒΕΙϹ ΚΑΙ ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΔΑϹ ΤΕΙΜΗϹ ΧΑΡΙΝ........

Senatus populuſque Baricham filium Amriſamſæ filii Jaribolis, & Mocimum filium ejus pios patriæque amantes honoris cauſa poſuerunt........

Ejuſdem proceritatis columnæ alii inſculptum.

V. pag. 92.

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟϹ ΑΛΙΛΑΜΕΝΑ ΠΑΝΟΥ ΤΟΥ ΜΟΚΙΜΟΥ ΤΟΥ ΑΙΡΑΝΟΥ ΤΟΥ ΜΑΘΘΑ ΚΑΙ ΑΙΡΑΝΗΝ ΤΟΝ ΠΑΤΕΡΑ ΑΥΤΟΥ ΕΥϹΕΒΕΙϹ ΚΑΙ ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΔΑϹ ΚΑΙ ΠΑΝΤΙ ΤΡΟΠΩ ΕΠΙϹΗΜΩϹ ΑΡΕϹΑΝΤΑϹ ΤΗ ΠΑΤΡΙΔΙ ΚΑΙ ΠΑΤΡΙΟΙϹ ΘΕΟΙϹ ΤΕΙΜΗϹ ΧΑΡΙΝ ΕΤΟΥϹ Ν͂Υ Λ͂ ΜΗΝΟϹ ΞΑΝΔΙΚΟΥ.

Senatus populuſque Alilamena filium Panæ filii Mocimi filii Æranæ filii Matthæ, & Æranam patrem ejus, pios patriæque amantes, & omni modo præclare merentes de patria ac Diis patriis honoris cauſa poſuerunt anno CCCCL. *d* die XXX. menſis Xanthici.

VI.

ΑΦΙΕΡΩΘΗ ΕΩΙ ΛΥΝΔΙΟΥ ΤΟΥ ΑΜΦ ΕΤΟΥϹ ΔΙΑ ΜΑΤΕΡΝΟΥ ΚΑΙ ΠΑΠΠΟΥ ΚΑΙ ΜΑΡΚΟΥ ΚΝΕΤΜΝ

d A.D. 138. an. 1. Pii.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

— Υ — Ν.

Conſecrabatur anno D. XLI. *e*

In propylæo templi Jovis, quod Hadrianus in urbis Palmyræ parte Orientali exſtruxit.

VII. pag. 105.

ΜΑΛΗΝ ΤΟΝ ΚΑΙ ΑΓΡΙΠΠΑΝ ΙΑΡΑΙΟΥ ΤΟΥ ΡΑΑΙΟΥ ΓΡΑΜΜΑΤΕΑ ΓΕΝΟΜΕΝΟΝ ΤΟ ΔΕΥΤΕΡΟΝ ΕΠΙΔΗΜΙΑ ΘΕΟΥ ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΑΛΙΜΜΑ ΠΑΡΑΣΧΟΤΑ ΞΕΝΟΙϹ ΤΕ ΚΑΙ ΠΟΛΕΙΤΑΙϹ...... ΕΝ Η.... Ν ΥΠΗΡΕΤΗϹΑΝΤΑ ΤΗ Τ ΤΟΥ ϹΤΡΑΤΕΥΜΑΤΟϹ ΤΟΥ ΥΠΟ...... Η ΚΑΙ ΤΟΝ ΝΑΟΝ ΤΟΥ ΒΗΛΟΥ ΔΙΟϹ.... ΝΤΩΤ....

Malam, qui & Agrippa, filium Jaræi filii Raæi, qui officio ſcribæ ſecundum functus eſt adventu Dei Hadriani, & tam peregrinis quam civibus uncturam dedit
& adminiſtravit
& templum Jovis Beli

Aræ ad thermas in urbis pomœrio Occidentali inſcriptum.

VIII. pag. 103.

ΔΙΙ ΥΨΙϹΤΩ ΜΕΓΙϹΤΩ ΚΑΙ ΕΠΗΚΟΩ ΒΩΛΑΝΟϹ ΖΗΝΟΒΙΟΥ ΤΟΥ ΑΙΡΑΝΟΥ ΤΟΥ ΜΟΚΙΜΟΥ ΤΟΥ ΜΑΘΘΑ ΕΠΙ ΜΕΛΕΤΗ ϹΟΗ ΑΙΡΕΘΕΙϹ ΕΦΘΑϹ ΠΗΓΗϹ ΥΠΟ ΙΑΡΙΒΩΛΟΥ ΘΕΟΥ ΤΟΝ ΒΩΜΟΝ

e A. D. 229. an. 7. Valeriani & Gallieni Impp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

ΒΩΜΟΝ ΕΞ ΙΔΙΩΝ ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΕΤΟΥϹ ΔΟΥ
ΜΗΝΟϹ ΥΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟΥ Κ

Jovi ſupremo maximo & propitio Bolanus filius Zenobii filii Æranæ filii Mocimi filii Matthæ in curam ſalvam calidi fontis electus a Jaribolo Deo aram proprio ſumptu dedicavit anno CCCCLXXIIII. *f* menſis Hyperberetæi die XX.

In palatii porticu ad baſim columnæ.

IX. pag. 102.

ΜΑΡΘΕΙΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΤΟΥ ΚΑΠΑΔΗΤΟΥ ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟΥ ΤΟΥ ϹΥΜΩΝΟΥ ϹΩΡΑΙΧΟϹ ΑΙΡΑΝΟΥ ΑΝΗΡ ΑΥΤΗϹ ΜΝΗΜΗϹ ΕΝΕΚΕΝ ΜΗΝΕΙ ΔΥϹΤΡΩ ΤΟΥ ϞΥ ΕΤΟΥϹ.

Martham filiam Alexandri Capadetæ Vaballathi filii Symonæ Soræchus filius Æranæ maritus ejus memoriæ cauſa menſe Dyſtro anni CCCCXC. *g*

In magna curia Palmyræ.

X. pag. 99.

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟϹ ϹΕΠΤΙΜΙΟΝ ΤΟΝ ΚΡΑΤΙϹΤΟΝ ΕΠΙΤΡΟΠΟΝ ϹΕΒΑϹΤΟΥ ΔΟΥΚΗΝΑΡΙΟΝ ΤΕΛΕΟΔΟΤΗΝ ΤΗϹ ΜΗΤΡΟΚΟΛΩΝΕΙΑϹ ΚΑΙ ΑΝΑΚΟΜΙϹΑΝΤΑ ΤΑϹ ϹΥΝΟΔΙΑϹ ΕΞ ΙΔΙΩΝ ΚΑΙ ΜΑΡΤΥΡΩΘΕΝΤΑ ΥΠΟ ΤΩΝ ΑΡΧΕΜΠΟΡΩΝ ΚΑΙ ΛΑΜΠΡΩϹ ϹΤΡΑΤΗΓΗϹΑΝΤΑ

f A.D. 163. an. 3. Marci.
g A. D. 178. an. 18. Marci.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

ΚΑΙ ΑΓΟΡΑΝΟΜΗϹΑΝΤΑ ΤΗϹ ΑΥΤΗϹ ΜΗΤΡΟ-ΚΟΛΩΝΕΙΑϹ ΚΑΙ ΠΛΕΙϹΤΑ ΟΙΚΟΘΕΝ ΑΝΑΛΩ-ϹΑΝΤΑ ΚΑΙ ΑΡΕϹΑΝΤΑ ΤΗ ΤΕ ΑΥΤΗ ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ ΤΩ ΔΗΜΩ ΚΑΙ ΝΥΝΕΙ ΛΑΜΠΡΩϹ ϹΥΜΠΟ-ϹΙΑΡΧΟΝ ΤΩΝ ΤΟΥ ΔΙΟϹ ΒΗΛΟΥ ΙΕΡΩΝ ΤΕΙ-ΜΗϹ ΕΝΕΚΕΝ ΕΤΟΥϹ.... ΜΗΝΕΙ ΞΑΝΔΙΚΩ.

Senatus populuſque Septimium excellentiſſimum procuratorem Auguſti, ducenarium, a tributo coloniæ præcipuæ, qui comitatus proprio ſumptu excepit, & a mercatorum primariis probatus eſt, & præclare rem egit tam ductor exercitus quam præfectus annonæ coloniæ præcipuæ, & plurimum opum ſuarum publico impendit, beneque meruit de ſenatu ipſo ac populo, atque hoc tempore modiperator eſt epuli Jovis Beli, honoris cauſa poſuerunt anni..... menſe Xanthico.

In eadem curia.

XI. pag. 97.

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟϹ ΙΟΥΛΙΟΝ ΑΥΡΗΛΙΟΝ ΖΗΝΟΒΙΟΝ ΤΟΝ ΚΑΙ ΖΑΒΔΙΛΑΝ ΔΙϹΜΑΛΧΟΥ ΤΟΥ ΝΑϹϹΟΥΜΟΥ ϹΤΡΑΤΗΓΗϹΑΝΤΑ ΕΝ ΕΠΙ-ΔΗΜΙΑ ΘΕΟΥ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΚΑΙ ΥΠΗΡΕΤΗ-ϹΑΝΤΑ ΠΑΡΟΥϹΙΑ ΔΙΗΝΕΚΕΙ ΡΟΥΤΙΛΛΙΟΥ ΚΡΙϹΠΕΙΝΟΥ ΤΟΥ ΗΓΗϹΑΜΕΝΟΥ ΚΑΙ ΕΠΙΔΗ-ΜΗϹΑϹΑΙϹ ΟΥΗΞΙΛΛΑΤΙΟΙϹΙΝ ΑΓΟΡΑΝΟΜΗ-ϹΑΝΤΑ ΤΕ ΚΑΙ ΟΙΚΕΙΩΝ ΑΦΕΙΔΗϹΑΝΤΑ ΧΡΗ-ΜΑΤΩΝ ΚΑΙ ΚΑΛΩϹ ΠΟΛΙΤΕΥϹΑΜΕΝΟΝ ΩϹ

ΔΙΑ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

ΔΙΑ ΤΑΥΤΑ ΜΑΡΤΥΡΗΘΕΝΤΑ ΥΠΟ ΘΕΟΥ ΙΑ-
ΡΙΒΩΛΟΥ ΚΑΙ ΥΠΟ ΙΟΥΛΙΟΥ [ΦΙΛΙΠΠΟΥ] ΤΟΥ
ΕΞΟΧΩΤΑΤΟΥ ΕΠΑΡΧΟΥ ΤΟΥ ΙΕΡΟΥ ΠΡΑΙΤΩ-
ΡΙΟΥ ΚΑΙ ΤΗϹ ΠΑΤΡΙΔΟϹ ΤΟΝ ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΝ
ΤΕΙΜΗϹ ΧΑΡΙΝ ΕΤΟΥϹ ΔΝΦ.

Senatus populuſque Julium Aurelium Zenobium, qui & Zabdila, filium Diſmalchi filii Naſſumi, ductorem exercitus in adventu Dei Alexandri, & legatum perpetuum Rutilii Criſpini præfecti vexillationibus deductis, necnon præfectum annonæ publicæ liberalem & bonis propriis non parcentem, ac præclare rem adminiſtrantem, atque idcirco probatum Deo Jaribolo, & Julio [Philippo] inſigniſſimo præfecto ſacro prætorio, & patriæ quoque, amantem patriæ virum honoris cauſa poſuerunt anno DLIV. *h*

Super portam muri Occidentalis, quo decus templi Beli Jovis a Parthis obſtructum eſt.


XII. pag. 88.

ΤΟ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΤΟΥ ΤΑΦΕΩΝΟϹ ΕΚΤΙϹΕΝ
ΕΞ ΙΔΙΩΝ ϹΕΠΤΙΜΙΟϹ ΟΔΑΙΝΑΘΟϹ Ο ΛΑΜ-
ΠΡΟΤΑΤΟϹ ϹΥΝΚΛΗΤΙΚΟϹ Ο ΑΙΡΑΝΟΥ ΤΟΥ
ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟΥ ΤΟΥ ΝΑϹΩΡΟΥ ΑΥΤΩ ΤΕ ΚΑΙ
ΥΙΟΙϹ ΑΥΤΟΥ ΚΑΙ ΥΙΩΝΟΙϹ ΕΙϹ ΤΟ ΠΑΝΤΕ-
ΛΕϹ ΑΙΩΝΙΟΝ ΤΕΙΜΗΝ.


h A. D. 242. an 5. Gordiani.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

Monumentum hoc ſepulchrale de pecunia ſua condidit Septimius Odænathus clariſſimus ſenator filius Æranæ filii Vaballathi filii Naſori ſibi & filiis ſuis nepotibuſque in perennis ævi honorem.




Samaritanum.




Judaicum & Aſſyriacum.


אבגדהוזחטיכלמנסעפצקרשת

Syriacum.



Mendæum.





Palmyrenum vero ſi quis dederit, erit mihi magnus Philologus.

In curia magna Palmyrenorum.

XIII. pag. 95.

ΙΟΥΛΙΟΝ ΑΥΡΗΛΙΟΝ ΖΕΒΕΙΔΑΝ ΜΟΚΙΜΟΥ ΤΟΥ ΖΕΒΕΙΔΟΥ ΤΟΥ ΑϹΘΩΡΟΒΑΙΔΑ ΟΙ ϹΥΝ ΑΥΤΩ ΚΑΤΕΛΘΟΝΤΕϹ ΕΙϹ ΟΛΟΓΕϹΙΑΔΑ ΕΝ-ΠΟΡΕΙΑΝ ΕϹΤΗϹΑΝ ΑΡΕϹΑΝΤΑ ΑΥΤΟΙϹ ΤΕΙ-ΜΗϹ ΧΑΡΙΝ ΞΑΝΔΙΚΩ ΤΟΥ ΗΝΦ ΕΤΟΥϹ.

Julium Aurelium Zebidam filium Mocimi filii Zebidæ filii Aſthorobædæ comites qui ad emporium Vologeſium cum eo profecti ſunt, bene de ipſis meritum virum honoris cauſa ſtatuerunt menſe Xanthico anni DLVIII. *i*

In magna curia.


XIV. pag. 99.

ϹΕΠΤΙΜΙΟΝ ΑΙΡΑΝΗΝ ΟΔΑΙΝΑΘΟΥ ΤΟΝ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ ϹΥΝΚΛΗΤΙΚΟΝ ΕΞ ΑΠΑΝΤΩΝ ΛΟΥΚΙΟϹ ΑΥΡΗΛΙΟϹ ΗΛΙΟΔΩΡΟϹ ϹΤΡΑΤΙΩΤΗϹ ΛΕΓΕΩΝΟϹ ΠΑΡΘΙΚΗϹ ΤΟΝ ΠΑΤΡΩΝΟΝ ΤΕΙ-ΜΗϹ ΚΑΙ ΕΥΧΑΡΙϹΤΙΑϹ ΧΑΡΙΝ ΕΤΟΥϹ ΓΞΦ.

Septimium Æranam filium Odænathi clariſſimum ſenatorem præ cæteris Lucius Au-

i A. D. 246. an. 3. Philippi.

relius Heliodorus miles legionis Parthicæ patronum ſuum honoris & gratitudinis cauſa anno DLXIII. *k*



k A. D. 251. an. 1. Galli.

Prope partem Orientalem magnæ curiæ Palmyrenæ.

XV.

.... ΛΟΥΚΙΟΥ ΑΥΡΗΛΙΟΥ ΗΛΙΟΔΩΡΟΥ ΤΟΥ......... ΤΕΙΜΗϹ ΧΑΡΙΝ ΕΤΟΥϹ......... ΜΗΝΟϹ ΑΠΕΛΛΑΙΟΥ.

.... Lucii Aurelii Heliodori......... honoris cauſa anno......... menſe Apellæo.

In magna curia.

XVI. pag. 100.

ΠΟΥΠΛΙΟΝ ΟΥΟΡΩΔΗΝ ϹΥΝΚΛΗΤΙΚΟΝ ΚΑΙ ΒΟΥΛΕΥΤΗΝ ΠΑΛΜΥΡΗΝΟΝ ΒΗΛΑ ΚΑΒΟϹΑΡϹΑ ΤΟΝ ΦΙΛΟΝ ΤΕΙΜΗϹ ΧΑΡΙΝ ΕΤΟΥϹ ΟΦ͂.


Publium Vorodam ſenatorem & conſiliarium Palmyrenum filium Belæ Caboſarſæ amicum ſuum honoris cauſa poſuit anno DLXX. *l*

Inter ſepulchra.

XVII.

— ΥΙΩΝΟΝ ΑΥΤΟΥ ΠΡΟϹΛΑΒΕΙΝ ΚΑϹ.....

— nepotem ejus accipere.......




l A. D. 258. an. 6. Valeriani.

Inter ſepulchrales ædes.

XVIII.

— ΑΡCΕCΙ ΕΠΙ ΤΩ ΚΑΤΑ ΜΗΔΕΝΑ ΤΡΟΠΟΝ Κ........ ita ut nullo modo




In curia magna.

XIX. pag. 98.

CΕΠΤΙΜΙΟΝ ΟΥΟΡΩΔΗΝ ΤΟΝ ΚΡΑΤΙCΤΟΝ ΕΠΙΤΡΟΠΟΝ CΕΒΑCΤΟΥ ΔΟΥΚΗΝΑΡΙΟΝ ΚΑΙ * ΑΡΧΑΓΗΤΗΝ ΙΟΥΛΙΟC ΑΥΡΗΛΙΟC CΑΛΜΗC ΚΑCCΙΑΝΟΥ ΤΟΥ ΜΕΛΕΝΑΙΟΥ ΙΠΠΕΥC ΡΩΜΑΙΩΝ ΤΟΝ ΦΙΛΟΝ ΚΑΙ ΠΡΟCΤΑΤΗΝ ΕΤΟΥC ΗΟΦ ΜΗΝΕΙ ΞΑΝΔΙΚΩ.

Septimium Vorodam excellentiſſimum procuratorem Auguſti, ducenarium & ductorem Julius Aurelius Salma filius Caſſiani Melenæi eques Romanus amicum ſuum ac patronum poſuit anni DLXXVII. *m* menſe Xanthico.

* γρ. ΑΡΟΑΠΗΤΗΝ.
m A. D. 266. an. 14. Gallieni.



In curia magna.

XX. pag. 98.

CΕΠΤΙΜΙΟΝ ΟΥΟΡΩΔΗΝ ΤΟΝ ΚΡΑΤΙCΤΟΝ ΕΠΙΤΡΟΠΟΝ CΕΒΑCΤΟΥ ΔΟΥΚΗΝΑΡΙΟΝ ΚΑΙ * ΑΡΧΑΓΗΤΗΝ ΙΟΥΛΙΟC ΑΥΡΗΛΙΟC CΑΛΜΗC ΠΥCΙΛΛΟC ΜΕΛΕΝΑΙΟC ΜΑΛΩΧΑ ΝΑCCΟΥΜΟΥ Ο ΚΡΑΤΙCΤΟC ΤΟΝ ΦΙΛΟΝ ΚΑΙ ΠΡΟCΤΑΤΗΝ ΤΕΙΜΗC ΕΝΕΚΕΝ ΕΤΟΥC.... ΜΗΝΕΙ ΞΑΝΔΙΚΩ.

Septimium Vorodam excellentiſſimum procuratorem Auguſti, ducenarium & ductorem Julius Aurelius Salma Puſillus Melenæus filius Malochæ Naſſumi vir excellentiſſimus amicum & patronum ſuum honoris cauſa poſuit anni.... menſe Xanthico.

Pertinet ad caſtellum in urbis Palmyræ colle Orientali.

XXI. pag. 161.

Rectores orbis & propagatores humani generis D. D. N. N. Diocletianus & Maximianus ſanctiſſimi Imperatores, & Conſtantius,

* γρ. ΑΡ..ΑΠΗΤΗΝ.

&

& [Maximianus / *deletum*] Nobb. Cæſ. caſtra feliciter condiderunt.... *n*


....ntes Oſſiano Hieroclite V. P. præfecto Provinciæ D. N. M. O. eorum.

In monaſterio Maronitarum apud Arſopham.

XXII.

† ΕΠΙ ϹΕΡΓιȣ ΕΠΙϹΚȣ Τȣ ϹΥΓΓΕΝȣς ΜΑΡΩΝΙȣ Τȣ ΧΩΡΕΠΙϹΚȣ.

Ædes hæc conſtructa eſt tempore Sergii Epiſcopi cognati Maroniæ Chorepiſcopi.



XXIII.

ΑΓΛΙΒωΛω ΚΑΙ ΜΑΛΑΧΒΗΛω ΠΑΤΡωΟΙϹ ΘΕΟΙϹ

ΚΑΙ ΤΟ ϹΙΓΝΟΝ ΑΡΓΥΡΟΥΝ ϹΥΝ ΠΑΝΤΙ ΚΟΖΜω ΑΝΕΘΗΚΕ

Λ. ΑΥΡΗΛΙΟϹ ΗΛΙΟΔωΡΟϹ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΑΔΡΙΑΝΟϹ


ΠΑΛΜΥΡΗΝΟϹ ΕΚ ΙΔΙωΝ ΥΠΕΡ ΤΗϹ ϹωΤΗΡΙΑϹ ΑΥΤΟΥ ΚΑΙ Τ̃ ϹΥΝΒΙΟΥ ΚΑΙ Τ̃ ΤΕΚΝωΝ ΕΤΟΥϹ. Ζ̃ Μ̃ Φ̃ ΜΗΝΟϹ ΠΕΡΙΤΙΟΥ.

Aglibolo & Malachbelo Diis patriis argenteum hoc ſignum cum ornatu omni dedicavit

L. Aurelius Heliodorus filius Antiochi Hadrianenſis Palmyrenus de ſua pecunia pro ſalute ſui & conjugis filiorumque anno *o* DXLVII. menſe Peritio.

n Circa A. D. 300.

o A.D. 235. an. 1. Maximini.



Θεῷ Χάρις.

E D-

EDWARDI BERNARDI
SCHOLIA
AD MONUMENTA PALMYRENA.

SCHOLIA
Ad Monumentum primum.

Γίχος] A Samaritico גחה *gacha*, pugnavit, aut a Chaldæo אגיח *agiach*, pugnavit, גיחא *gicha*, miles.

Μοκίμȣ] Frequens nomen in Palmyra, idem ſignificans quod μόνιμος ſive προςάτης, القيم *Almocimon.*

Μανναίȣ] Notum & hoc in ea civitate: quod eſt מני *manni*, œconomus: aut مني *manion*, deſiderabilis, dilectus. Vel denique ipſum ماني *mani* Perſarum, quod prava hæreſis nimis notum fecit. Idem Flavio Joſepho Μενναῖος, nomen inter Arabas verſans. Aut etiam ماني *manion*, determinator, definitor. Scimus enim ex Xiphilino Μάνον Φύλαρχον τῆς Ἀραβίας πλησιοχώρȣ h. e. *Syriæ Palmyrenæ Trajanum imperatorem apud Edeſſam conveniſſe.*

Ad ſecundum.

Ἐλάβηλος] אלהא בעל, *Eloha be'el*, dominus Deus.

Σο-

Σοχαεὶς] Σοχαὴς, سخيي, *Sochion*, munificus.

Μάλχῳ] מלכא, *malcha*, rex, aut πορφύρεος.

Ουαβαλλάθου] ſive Vaballathi, ut marmora quam nummi præferunt. Quod venit a Syro אובלתא, *Ubelatha*, ſtirps, progenies: aut ab אבלתא, *Obelatha*, quod eſt إللي, *Oblion* apud Arabas Chriſtianos. Unde acceſſit Jacobo Juſto, primo omnium Epiſcopo & omnino maximo, cognomentum ὠβλίας, quod eſt, ὁ προεστὼς, primas. Viri autem Docti multum hallucinantur de ea nuncupatione. Eſt etiam אבלתא, ابال, *Obbalon*, paſtor.

Ξανδίκῳ] Ita ubique pro Xanthico, propter os blæſum Syrorum.

Ad tertium.

Αδριανοῦ] Cum decerneretur bellum: aut certe A. D. 132. quando vota publica pro principis ſalute paſſim ſuſcepta fuiſſe ipſi nummi oſtendunt.

Ad quartum.

Η βουλὴ καὶ ὁ δῆμος] Palmyreni quidem, ſive Syriæ Sobæ populus, filiis Salomonis τοῦ κτίστου

parebant, tum Aſſyriis, dein Perſis, poſt illos Macedonibus, mox Parthis, atque jam Romanis, ſervato tamen reipublicæ modo; etiam ſub Arabum ſcenitarum phylarchis, Mancho inquam, Arethis duobus, Alchaudonio, Alamandaro, Naamane, aliiſque, uſque ad Aurelianum imp. Romanorum, qui Palmyram vaſtavit A. D. 271. Ille enim princeps, ſubita defectione civium poſt captam Zenobiam provocatus, urbem omnino evertit. Similia quidem jura & mores Macedonicos Seleuciæ ad Tigrim, Antiochiæ ad Orontem, & ipſis Athenis conceſſerunt Romani victores. Pollicetur adeo Aurelianus literis ſcriptis Zenobiæ in ſua ſplendida urbe tunc obſeſſæ, ſervaturum ſe jus Palmyrenorum. Idemque poſtea in urbem Romam, non Zenobiam ſolam, ſed & principes civitatis qui ſuperfuerant, triumpho duxit.

Βαρίχειω] Βαρίχιω correctius. جريكى, *baricon* vero aut βάρκης felicem ſignificat.

Ἀμεισάμσου] Sonat autem ἀμεισάμσης, ὁ αὐτοκράτωρ ἥλιος, امير شمس, *amir Sams*. Similiter inter ſacerdotes Emiſenos legimus σαμψιγέραμον, qui ad Saporem Perſam urbe exierat, quaſi شمس جر امه, *Sams Gerama*, Sol clarus. Perſis vero, quos ſacerdos ille cum turma ruſtica fugaverat, occurrit tempore Va-

leriani

leriani ὁ τοῦ λιμίτου ἀντιποιούμενος, ait Melelas ex Domnino, Ὀδέναθος, βασιλεὺς Σαρακηνῶν βαρβάρων, καὶ πάντας τοὺς Πέρσας τοὺς τῆς βοηθείας τοῦ Σαπώρου ἀνήλωσεν.

Ιαριβόλεως] Ιαριβολεὺς, βηλοσεβὴς interpretanti, ירא בעל, *jare ba'al:* aut pertinens ad Jaribolum, eximium Palmyrenorum idolum.

Ad quintum.

Αλιλαμενᾶ] עלימא אלהא, *Eloha alima,* Deus ſapiens.

Αιράνης] עירני, *irani*, urbanus.

Μαθθᾶ] Ματθᾶς autem eſt מתן, *mattan*, δῶρον, velut Dei donum.

Πατρῴοις θεοῖς] Malachbelo quidem & Aglibolo.

Ad ſeptimum.

O quantum malum bonæ literaturæ fecit Licinius, qui Gordiani tertii monumentum in Circeio Græcis & Latinis & Perſicis & Judaicis & Ægyptiacis literis inſcriptum expunxit! Idem tamen dici potuit hoc tempore de Palmyra, quod de Seleucia monet Joſephus: οἰκοῦσι δὲ αὐτὴν, πολλοὶ τῶν Μακεδόνων, πλεῖστοι δὲ Ἕλληνες· ἔστι δὲ καὶ Σύρων οὐκ ὀλίγον τὸ ἐμπολιτευόμενον. Scimus præterea ex Plutarchi Antonio Palmyrenos fuiſſe trilingues, Syros quidem, Armenios & Meſopotamenos. Hadrianus vero

princeps ſatis glorioſus, & Alexandri Magni atque Seleuci Nicatoris præ cæteris æmulus, multa templa etiam ſui nominis per urbes Syriæ condidit cum aliis ædificiis, atque propter illud meritum ſuo illas nomine nuncupavit. Unde & Palmyra quandoque Hadrianopolis adpellata eſt. Verum veteribus nominibus Tadmoræ dialecto Syra & Palmyræ Græca dictione brevi conceſſit nova illa nuncupatio. Hinc bene intelliges ἐπιτιθέντα in ethnicis Stephani, ubi loquitur de hoc emporio.

Μάλην] Μάλης, مالي, *malion*, dives, aut مال, *maalon*, pinguis.

Τὸν καὶ Ἀγρίππαν] Vel Agrippa idem denotat quod μάλης: aut more iſtius ævi duo nomina ſibi conciliabant Palmyreni, Syrum unum, Romanum alterum. Ibi Ἰαραῖος, ירא, *jare*, verecundus: & Ῥααῖος, راي, *raaion*, ſpectabilis. Adventu Dei Hadriani; expeditionibus præſertim A. D. 119. & 128. ab eo ſuſceptis.

Καὶ τὸν ναὸν τȣ͂ Βήλȣ Διὸς] Ædem enim illam Orientalem & minorem, quam in ruinis tantis vix vides, circa A. D. 128. exſtruxerat Hadrianus.

Ad octavum.

Βώλανος] בלן, *ballan*, balneator: aut בעלני, *baal-*

baalni, ad Belum pertinens.

Ιαριβώλȣ] *Jaribolus*, ירח בעל, *jareah ba'al*; Lunus dominus.

Ad nonum.

Μάρθειν] Pro Μάρθην vitio vulgi. Μάρθη autem, quis neſcit Judæorum aut Chriſtianorum? eſt ἐτητύμως domina, מרתא, *martha*.

Συμώνȣ] Συμώνης eſt שמעון, *Symeon*, obediens. Mox Σώραιχος, ܨܪܝܟܝ, *ſarichion*, indigena.

Ad decimum.

Σεπτίμιον] Ducenarius enim ille id nomen ſibi quæſivit ab imperatore Severo, qui A. D. 196. bene geſta re circa Arabiam Arabicus adpellatus eſt, interiorum Arabum facta provincia.

Σεβάστου] Severi vel Caracallæ.

Δȣκηνάρειον] Notum autem ſatis Ducenarii officium inter caſtrenſia & magni honoris. Talis certe miles hoc ipſo tempore fuit Paulus Samoſatenus, Epiſcopus, & aries hæreſeos Judaicæ, quam ætas noſtra Socinianam vocat. Imovero ſe ad veterem illam pravitatem convertit Paulus, quo Zenobiam ſectæ Judæorum addictam palparet, vir faſtuoſus & terribilis, ſatellitii ſtudioſior quam diaconorum & comitatus Chriſtiani. Multi vero patres eccleſiaſtici hæc ajunt, firmantque Athanaſius, Euſebius, Theodoretus, alii.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

Διὸς Βήλου] Imitatione enim ædis Beli Babylonii, quo nihil antiquius legitur inter idola gentium, templum illud magnificentiſſimum in regione Occidentali Palmyræ urbis eidem Deo conſtruxerat Seleucus Nicator. Simile quoque refert Dio de alia urbe Syriæ ſatisque propinqua: Ὁ Ζεὺς ὁ Βῆλος εἰκαζόμενος ἐν τῇ Ἀπαμείᾳ τῆς Συρίας τιμᾶται. Eodem certe Seleuco auctore. Loculi autem duo in porticu magni templi Palmyreni Deorum patriorum Malachbeli & Aglibeli ſtatuas tenebant; quas Aurelianus victor demum Romam tranſtulit. Aquilæ quoque crebro fuerunt Seleucidarum Ptolemæorumque inſignia, ut nummi adhuc monſtrant, non ſolius exercitus Romani. Explicabo vero locum Agathiæ, priuſquam hinc pergam. Οἱ Πέρσαι, certe ab Aſſyriis edocti, Βήλον μὲν καλοῦσι τὸν Δία, ſive בעל, *be'el*: Σάνδην δὲ τὸν Ἡρακλέα; quod eſt שדי, *ſaddai*, ſive شديد, *ſadidon*, αὐτοκράτωρ, fortis: vel سند, *ſenadon*, validus, robuſtus. Καὶ Ἀγαιτίδα τὴν Ἀφροδίτην, quod eſt חננה, *hannana*, χαρίεσσα: vel potius Syrorum הניאנתא, *hanaintha*, jucunditas, oblectatio, voluptas.

Ad undecimum.

Ἰούλιον Αὐρήλιον] Zenobius enim ille prænomina imperatorum Maximini & Alexandri re-

reverentiæ cauſa accepit. Hic enim Auguſtus Perſas, qui Artaxerxe imperium recuperante Syriam totam concuſſerant, feliciter e Syria Meſopotamea depulit, Palmyramque inter alia liberavit A. D. 230.

Θεοῦ Ἀλεξάνδρου] In Deos relati, volente populo.

Τὸν καὶ Ζαβδίλαν] Διώνυμοι enim erant plerique Palmyrenorum: altero quidem nomine Græcis aut Romanis noti, altero vero patriæ ſuæ & toti Syriæ ac Meſopotamiæ. Ita jam Ζηνόβιος valet Græce quod Syris זבד אלהא, *zabdelaha*, donum Dei, Theodorus. Idem quoque rex Arabum Æneas adpellatur apud Joſephum Græca voce, & patria حارث, *Hareth*, agricola, Arethas. Arabum quoque phylarchus ἄκβαρος, ſive اكبر, *acbaro*, ὁ κράτιστος Arabice nuncupatur, quem Plutarchus Parthico vocabulo Ἀριάμνην adpellat, eadem plane ſignificatione. Ita & Petrus & Cepha de eodem doctore dicitur in libris divinis.

Δισμάλχου] Eſt autem Diſmalchus, داجمس الالكي, *daiſmalec*, regis ſatelles.

Νασσούμου] Naſſumus, ناسم, *naſemon*, animatus.

Ρουτιλλίου Κρισπείνου] Qui conſul fuerat A. D. 224.

Ιȣλίȣ [Φιλίππȣ] τȣ̃.] Haud quidem mirandum, ſi parricidæ iſtius, qui hoc ipſo anno, Arriano & Papo coſſ. a Gordiano præfectus prætorio creabatur, nomen proprium Philippus e monumentis publicis deleatur. Nihil ſane mitius princeps ille merebatur, quem homines nimis creduli Chriſtiana religione, o dedecus! adhuc obligare ſtudent.

Ad duodecimum.

Σεπτίμιος] Hic quoque ſenator ob memoriam Alexandri Severi ſimul bonique imperatoris; quis enim poſt molliſſimum Elagabalum auſterum dominum non expectaret? Septimii adpellationem jam vir ſumpſit, præſertim quando ſub illo imperatore militaret, qui Meſopotamiæ vicina aliquoties adierat Pollione teſte, & liberaverat. Imovero optimus iſte princeps, ſicut omnino meruerat, cives omnes Laodicenos Septimios ſuo nomine adpellari juſſit.

Ὀδαίναθος] Ὀδήναθος in nummis, Ὠδέναθος Zoſimo, Ὀδέναθος aliis, hoc eſt origine Syra עדנתא, deliciæ, amœnitas. Hic vir bello quam venationibus acer, & a præcedentibus imperatoribus Romanis Palmyrenorum decurio ſive ςρατηγὸς conſtitutus, quum admirabili virtute Perſas Meſopotomia & Adiabena quoque expuliſſet, & Orientis imperium ſine

aquilis

aquilis Romanis reſtituiſſet A. D. 264. a Gallieno Auguſtus renunciatur, dato imperii conſortio ſecundum fidem nummorum & tot hiſtoricorum, Gallieno & Saturnino coſſ.

Manſit quoque in ea familia purpura ne vix muliebris per ſeptennium, donec ob adfectatum Ægypti & Orientis totius imperium A. D. 272. humeris Zenobiæ demum Auguſtalem chlamydem Aurelianus Victor detraxerat. Ita quidem nummorum anni bene inter ſe conveniunt, Odenathi, Zenobiæ, Herodiani, & Vaballathi: non alio calculo.

Συγκλητικὸς] Senator, nondum adſumptis vel prætura vel imperio.

Ουαβαλλάθȣ] Vaballathi quidem iſtius nepos ejuſdem nominis quinque annos in ſinu matris Zenobiæ ſummam rerum tenuit; & cum averſa facie Aureliani in argento viſitur. Verum *ucrim* quod in illis nummis viros doctos adeo vexat, nihil aliud eſt quam Arabum اجلي, *carim*, illuſtris, nobiliſſimus.

Νασώρȣ] Naſores eſt defenſor, adjutor eodem ſermone, ناصر, *naſer*.

Ad tertium decimum.

Ἰȣ́λιον Αὐρήλιον] Prius itaque prænominum adſcripſit ſibi Zebidas a Maximino Auguſto, alterum ab Alexandro.

Ζεβείδαν] Hic autem Ζαβείδας, Ζεβείδας & Ζάβδας; hæc enim nomina Syris idem denotant, ſcilicet זבידא, *zabida*, & זבדא, *zabda*, donum, ſive Theodorus; non alius parebit eſſe quam ſtrenuus ille ductor militiæ Orientalis, qui mandato parum prudenti Zenobiæ Romanis præfectis Ægyptum poſtea eripuit, Zoſimo & Pollione & Vopiſco referentibus, ſi lectiones pravas librorum mecum emendaveris.

Ασθωροβαίδα] Nomen ſatis longum, quod protector ſervorum ſignificat, ساذر عبيدين, *Saterobædin*.

Ολογεσιάδα ἐμπορίαν] Vologeſiam enim aut Vologeſicertam, id eſt, Vologeſis urbem, ejus nominis princeps Parthicus A. D. LI. in Adiabena condiderat ad Tigridis angulum maxime Occidentalem, ubi nunc Tacrit, ceu locum opportunum magis Cteſiphonte, mercatoribus præſertim Syris & Palmyrenis, & hyemali manſione aptum. Vide Plinium *ſexto naturalium*. Ologeſes autem eſt الغ شاه, *Olog ſah*, rex magnus.

Ad quartum decimum.

Λύκιος Αὐρήλιος] Heliodorus ille a Philippo vel Maximino & ab Alexandro Auguſto prænominatus eſt. Idemque memoratur mo-

monumento ſequenti & in XXIII. quod Roma hodieque ſervat.

Ad ſextum decimum.

Πούπλιον ἢ Ποπίλιον] Nam Orodes Valeriani imperatoris prænomen grato animo uſurpavit.

Οὐορώδην] Vorodes, frequens nomen principum Parthiæ, ὑρώδης Plutarcho, ὀρώδης aliis, eſt اوروده, *Urudah* aut *Orodah*, στρατιώτης: vel potius Armeniorum ՈՐԴԻ *ordi*, filius.

Παλμυρηνὸν] Ita nummi, ita ſcriptores Græci & Latini, qui poſt Flavium Joſephum & C. Plinium Secundum ſcripſere. Nemo vero quiſquam, quod ſciam, ante Cæſarum tempora ea voce uſus eſt. Palmyra autem exſtincto ferme nomine Macedonico, Tadmora hodie vocatur. Nam, ut ait Marcellinus, *limitis Orientis urbes pleræque, licet Græcis nominibus adpellentur, primogenita tamen nomina non amittunt, quæ eis Aſſyria lingua inſtitutores veteres indiderunt.* Ita in ipſa Arabia Boſtra, בצרא, cum vulgo manet; quando Græca adpellatio Petra rarius legitur. Sic Thapſacum ceſſit Syræ voci Tormidæ ترميده, Pella Buti. Salomon igitur ſapientiæ laude cæteros reges Judæorum excellens, quo limitis regni ſui ad Vulturnum ter-

terminum alterum conſtitueret & firmaret in Aram Soba, quam Syriam Euphrateſiam interpretor, ſive in Hamath, quæ eſt Syria Libaneſia, maximam urbem condidit, ait Joſephus, Thadamoram nomine, ſive Themar, aut Thamar, ut bis ſcribitur in ſacra ſcriptura Maſoretarum & toties in exemplaribus Hebraicis tempore Hieronymi: aut ſonorius Tadmar vel Tadmor, ut Thabor, Itabarium: Simyra, Taximyra: quomodo iidem Maſoretæ legere nos jubent Regum priore, & omnis librarius Judaicus, Græcus & Latinus profert in Paralipomenis. Unde recte, ut ſolet fere ubique, obſervavit Hieronymus ad Ezechielis cap. 47. Palæſtinæ plaga Auſtralis, aut potius ἐυρόνοτος, (id enim ſæpius ſignificat Theman in libris ſacris) incipit a Thamar, *quæ urbs in ſolitudine eſt, quam & Salomon miris operibus exſtruxit, & hodie Palmyra nuncupatur, Hebræoque ſermone Tamar dicitur, quæ in lingua noſtra palmam, ſonat.* Dein ſequente capite cauſam vocabuli addit: *Ab eo quod ibi palmeta ſint plurima, quidam putant hoc ſortitum vocabulum.* Prætereundum autem non eſt, divino Ezechieli & Plinio Secundo de ſitu Palæſtinæ Vulturnum verſus bene convenire. Ait enim ſcriptor ſacer illam plagam arenarum æquore ſatis munitam, ὡς πλάγιον τι χεῦμα δεινῶν ἐρήμων, ut lo-

quitur

quitur Appianus, ad Auſtri terminum de Thamar uſque ad aquas contradictionis Cades, quo de loco ſic Euſebius in Geographia ſacra: Καδὴς, ἡ πηγὴ τῆς κρίσεως ἡ παρατείνουσα τῇ Πέτρᾳ τῆς Ἀραβίας. Ita Codex noſter ſcriptus. Simili modo elegantiſſimus & nobiliſſimus ſcriptor Plinius Secundus: *Syriæ Palmyrenæ ſolitudines uſque ad Petram urbem pertinent.* Et alibi idem: *Ad Petram utrumque bivium, eorum qui & Syriæ Palmyram petiere, & eorum qui a Gaza venerunt.* Munitionis autem Salomonicæ, quam prædicant ſacræ literæ & hiſtoria Joſephi, firmitatem ſenſit omnino poſt tot ſæcula Aurelianus Auguſtus. Nulla enim, inquit Vopiſcus, pars muri Palmyræ eſt, quæ non binis ac ternis baliſtis occupata ſit. Ignes etiam tormentis jaciuntur. Ridebant etiam propugnaculis freti cives Palmyreni Romanum imperatorem per tranſennam murorum. Similiter Zoſimus, Παλμυρηνῶν τωθαζόντων ὡς ἀδύνατου ἁλώσεως. Vidimus jam de conditore primo: quem ad tantas conſtructiones & finis regni, & palmarum copia, & aquæ calidæ, & propinquus Euphrates, & mercatura Aſſyria invitarunt, ſicut Joſephus Judæus primus obſervaverat, dein Plinius Secundus ex parte, atque mercatores Angli nuperrimo itinere demum comprobarunt. Verumtamen tanti domicilii, quantum jam e rui-

nis

nis æſtimamus & lugemus, non Salomon auctor eſſe potuit, quanquam ingentia ſibi palatia, & admirabilem Deo vero ædem exſtruxerat, non alius aliquis, quam ſatrapiarum duarum & ſeptuaginta dominus & totius Aſiæ rector a mari Syriaco ad Indum flumen, & Alexandri ſui ſimillimus, Seleucus Nicator. Is, cum Antiocho nimium dilecto filio, præter Stratonicen uxorem, Babyloniam & Perſiam conceſſiſſet, Salomonis regis Judæi veterem urbem magnificentiſſimis ædificiis illuſtravit, velut nidum mercaturæ Syriacæ & Perſicæ, imo tamquam ſolium aptum unde filii ſui regimen & fortunam deſpiceret. Notum autem eſt & tot civitatum adpellationibus in hoc uſque tempus deductum, ſtatuiſſe ubique potentiſſimum illum principem nominibus conſanguineis aliiſque urbes, ut ſermo Macedonicus ferebat. In his ergo Palmyram dictam arbitror imitatione veteris nomenclaturæ, Tadmor, pro φοινίκη communis Græciæ, ut Ἀπάμεια, Πέλλα, & aliæ. Nam a gloſſa illa Macedonum πάλμυς, παλμύρα, φοῖνιξ, φοινίκη palmam acceperunt Latini. Obſervat quoque Theophraſtus ex palmis præſtare baſilicam & extra Bagoæ Belve hortos vix reperiri; eam proprie Palmyram dici puto. Imovero ne minus dubitemus, urbem illam, quomodo & Jericho, propter palmarum copiam עיר התמרים,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

ir tamarim, nuncupari, & Palmyram, in triumpho Gallieni victoria æterna in nummis ſepties aut pluries tam palmam quam laurum geſtat. Gallienus enim, quod ait Pollio, monetam Odenathi, is enim revera Perſas viceraт & depulerat, qua Perſas captivos traheret cudi juſſit. Quod & ſenatus & urbs omnis gratanter accepit. Cn. autem Pompejus, quantum ex Dione colligere licet, A. ante Chriſtum 63. Palmyram primus Romanorum cepit, & præſidio Romano coërcuit. Quamquam poſt illa tempora reſpublica Palmyrena, ſicut & principes ſcenitarum Arabum Acbarus & Alchandonius, in medio quaſi duorum imperiorum poſita, ad partem fortiorem amabat accedere. Jam poſt mœnia Salomonis, & baſilicas Seleuci, templa Hadriani ſepulchrave ſi memorem, aut caſtellum Diocletiani, aut Juſtiniani magni propugnacula, nihil me ornamenti addere Palmyræ exiſtimabo, ſed molem ſolam ac rudimentum, ſi cum operibus magni Seleuci ea conferantur. Æquum igitur fuit ac gratum, ut a tanto conditore ſenatus populuſque Palmyrenus epocham temporum producerent: quod præter Chronicon Alexandrinum nummi adhuc monſtrant, & de urbe illa & de aliis multis Syriæ quam Phœniciæ; ſed non de omnibus. Antiochia enim ipſa magna mater Syriæ, omiſſa Seleuci memoria a Julii

Cæ-

Cæſaris dictatura perenni incipiunt, Tyrii a Zabina regina, Aſcalonitæ ab Octaviano Auguſto, & a Domitiano Gazenſes. De ſitu quidem Palmyræ quicquam his addere, non eſt otii noſtri, non ægritudinis. Sufficiat dicere, mercatores Anglos id verum reperiſſe, quod Joſephus & Plinius jamdiu adfirmaverant, mirabilem illam urbem itinere ſex dierum a mari Syriaco abeſſe, ſed diurno ab Euphrate flumine, ſi oppidorum, quæ tranſierunt noſtrates, poſitus conſideremus.

Βήλα] בעל, *be'el*, dominus. Mox Καβσοσαύρσα eſt a קבע.שרשא, *cebæ ſarſa*, fixio ſtirpis & radicatio.

Ad nonum decimum.

Cεβαςȣ] Is erat Alexander imperator.

Αροαπήτlω] Quid hoc monſtri eſt? Malo ἀρχαγήτlω.

Cάλμης] שלמא, *ſalma*, perfectus, integer.

Μαλώχα.] ملوكن, *malucon*, & ملاكن, *malacon*, rex.

An-

ANNOTATIONES
THOMÆ SMITHI
IN
MONUMENTA PALMYRENA.

ANtequam notas, quibus monumenta hæc illuſtrari poſſint, aggrediar, pauca de Palmyra, illius initiis, ſitu, nomine, item de æra annorum, quibus marmora ſignantur, præfari omnino oportet.

Tadmoram civitatem, poſtea Palmyram nuncupatam, in deſerto ſuperioris Syriæ ſitam, olim a Solomone conditam exſtructamque fuiſſe, e ſacris literis conſtat, 2 Chron. VIII:4. quem textum reddit vulgatus Latinus Interpres, *& ædificavit Palmyram in deſerto:* (ita enim ſcribi debet, non Palmiram, ut male excuditur) jactis nimirum ab ipſo primis fundamentis, cum nunquam antea habitaretur, ut male in ſua verſione Arabs Interpres innuit, quaſi dirutam ſuiſque ruderibus jacentem tantum reparaſſet. Hæc Græcis Interpretibus in exemplari Vatiano Θοεδμὸρ, in Alexandrino Θεδμόρ. In loco parallelo 1 Reg. IX. ubi quoque de urbibus ab illo Rege ſapientiſſimo & magnificentiſſimo aut exſtructis aut munitis agitur, multi verſus in codice Vaticano deſunt, qui in Ebraico, vulgata Latina verſione, inque verſionibus Syriaca & Arabica, & etiam in Alexandrino reperiuntur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

in quo diverſo modo ſcribitur, v. 18. καὶ τὴν Θερμαὸθ ἐν τῇ ἐρήμῳ. S. Hieronymus in libro de locis Ebraicis, *Thermoth civitas, quam ædificavit Solomon in deſerto.* Ita enim ad fidem codicis manuſcripti edidit Eraſmus Baſileæ 1537. licet poſtea Victorius in ſua verſione repoſuerit *Themor.* Ab hac autem varia lectione Græca veriſimile eſt S. Hieronymum iſtud nomen formaſſe: quod vix alibi occurrit. Thermoth enim mihi quidem videtur ex inverſione & tranſpoſitione literarum fluxiſſe a Θαδμὸρ, τοῦ δ in θ, ejuſdem organi literam, mutato. Joſepho Θαδαμόρα. Videtur provenire ab Arabico ذمر, *damara, inſtigavit, provocavit ad pugnam:* inde ذمر, & ذمير, *damiron, vir fortis, ſuorum protector & defenſor.* Nomen ergo urbi, quæ in extremis dominii Solomonici finibus condita, propugnaculum erat contra impetus & incurſiones hoſtium, bene impoſitum. Nec obſtat, quod Tadmor a Gieuhario, Abulpharagio, aliiſque Scriptoribus Arabibus ſcribitur تدمر, cum د & ذ, literæ ejuſdem cognationis, fere eundem ſonum habeant, hac blæſe & quaſi cum aſpiratione pronunciata, illa vero fortius.

Errat S. Hieronymus, qui in commentario ad Ezechielis XLVII: 19. & XLVIII: 28. juxta Ebraicos codices legendo תמר. *Tamar,* eandem eſſe vult cum Palmyra: cujus verba hic apponam. Ad illum locum: *Hic vero terminus plagæ auſtralis, h. e. meridianæ, incipit a Thamar, quæ urbs in ſolitudine eſt, quam & Solomon miris operibus exſtruxit, & hodie Palmyra nuncupatur, Hebræoque ſermone Tamar dicitur, quæ in lingua noſtra palmam ſonat.* Ad hunc vero: *Thamar*

mar ipſam, de qua jam diximus, quam nunc Palmyram vocant, & olim a Solomone conſtructa eſt, (palma enim Hebræo ſermone Thamar appellatur) ab eo, quod ibi palmeta ſint plurima, quidam putant hoc ſortitum vocabulum. Situs repugnat. Palmyra enim ad Orientem Hieroſolymorum protenditur: urbs vero iſta eſt limes Paleſtinæ Syriacæ ad auſtrum. Omnino illic juxta Septuaginta Seniores legere debemus Θαιμὰν. Teman autem notiſſima Idumæorum regio, cujus in ſacris literis frequens occurrit mentio, ob ſitum auſtralem ita nuncupata. Ob affinitatem igitur ſoni Tamar & Tadmor, nomina diverſæ originis & diverſi ſignificatus, ab Hieronymo confunduntur. Ii vero, qui ſuavi hoc inſomnio abrepti, Palmyram a palma, quaſi a multitudine palmarum, derivari volunt, mire decipiuntur. Nomen ergo Palmyra juxta hos erit Latinæ originis, quod plane putidum commentum eſt: neque enim quicquam cum lingua Latina, niſi ex accidente, & in priori parte ex cognatione ſoni, commune habet. E Græcia omnino etymologiam illius petere oportet. Pudet vero in aliorum hariolationibus refutandis immorari. Quidni etiam & ipſe pari venia & licentia hariolabor? Sita erat urbs hæc, uti maxime liquet, in ſolitudine, & in ſolo ſalſuginoſo, & prope vaſtam ſalis planitiem. Cur non ergo nomen inde deſumi poſſit? Civitas collocata & exſtructa ἐπὶ ἁλμυρᾷ viz. γῇ, ob ſingularem & illi maxime peculiarem poſituram & ſitum: cum cæteræ urbes a Fundatoribus ſuis condantur ἐπὶ ποταμῷ aut ἐπὶ θαλάσσῃ. Inde oppoſitio clara ex natura ſoli, juxta quod urbs iſta ædificatur. Nec exceptio valet, tum dici oportuiſſe φάλμυρα; cum notum ſit, Græcos ab aſpirationibus, quas Grammaticæ leges ſolent inducere, ſæpenume-

ro abhorrere. Ita Græcis Pygmalion pro Phygmalion, nomen Phæniciæ originis, ut dudum obſervavit Scaliger: quod tamen illo modo ſcriptum occurrit in fragmentis Menandri περὶ τῶν ἐν Τύρῳ βεβασιλευκότων.

Sed de ſtatu hujus urbis, quot quantaſque mutationes, immota, ut videtur, regiminis politici forma, ſervatis nimirum ſuis juribus priſcaque *αὐτονομίᾳ*, poſtea ſubierit, ſub Aſſyriis, Perſis, Macedonibus, Parthis, Romanis uſque ad tempora Aureliani, qui illam victa Zenobia, fœmina potentiſſima, expugnavit, tandemque ob ſtragem militum præſidiariorum, quos illic reliquerat, Romam petiturus, a rebellantibus civibus factam, acri indignatione accenſus, reducto ex Europa exercitu, in Palmyrenos immaniſſime ſæviens, evertit: quomodo etiam ſub Chriſtianis Imperatoribus denuo inſtaurata floruerit, ad dignitatem & honorem ſedis epiſcopalis erecta, noviſque propugnaculis φρούριον iſtud a glorioſiſſimo Imperatore Juſtiniano munitum fuerit, donec labaſcente Græcorum imperio occupaverint Arabes barbarique Turcæ, diſſerere non eſt animus: cum ea cuivis Lectori in iſtorum temporum hiſtoriis Græcis Romaniſque vel mediocriter verſato ſatis obvia ſint; quorumque, ſi quis id operæ pretium fore duxerit, compendiariam narrationem ex capite tertio diſſertationis ſecundæ longe eruditiſſimi viri, D. Noviſii de epochis Syro-Macedonum petere poſſit.

Quod vero auſpiciis Seleuci Nicatoris, totius Syriæ domitoris, ex ruinis ruderibuſque, quæ Aſſyrii induxerunt, quaſi de novo condita, majorique quam antea habuiſſet ſplendore aucta fuerit Palmyra, licet id ex expreſſiſſimis Strabonis, Appiani, aliorumque teſti-

teſtimoniis non conſtet, tamen concinne ac commode colligi poſſe videtur. Nam Rex ille, prudentiæ ac fortitudinis laudibus pariter inſignis, ut utar verbis Ammiani Marcellini lib. XIV. *abuſus multitudine hominum, quam tranquillis in rebus diutius rexit, ex agreſtibus habitaculis urbes conſtruxit, multis opibus firmas & viribus: quarum ad præſens pleræque licet Græcis nominibus appellentur, quæ iiſdem ad arbitrium impoſita ſunt conditoris, primogenia tamen nomina non amittunt, quæ eis Aſſyria lingua inſtitutores veteres indiderunt:* inque harum numero Palmyram ſive Tadmoram, urbem binominem, jure recenſeri poſſe quid vetet? præſertim cum non longe poſt inter celeberrimas Syriæ civitates eminuerit. Palmyrenos autem in ſignandis annis æra Seleucidarum pariter ac alios Syriæ populos uſos fuiſſe, ſequentes Inſcriptiones luculentiſſime demonſtrant: de qua hic ὡς ἐν παρόδῳ paucis agam.

Hæc æra deducenda eſt a decimo tertio anno poſt Alexandri obitum, cum quo concurrit primus Seleuci annus. Anno enim ſuperiori, h. e. duodecimo a morte magni Macedonis, ad finem vertente, dux ille fortiſſimus e partiariis Alexandri ſucceſſoribus, expugnata & capta Babylone, Aſiæ, & præcipue totius Syriæ, imperium ſibi poſteriſque ſuis victricibus armis aſſeruit. (*a*) Euſebius de demonſtratione Euangelica lib. VIII. καθ' ὃν i. e. temporibus Oniæ Pontificis, Σέλευκος Βαβυλῶνα κρατήσας, τὸ τῆς Ἀσίας περιτίθεται διάδημα, ἔτει δωδεκάτῳ μετὰ τὴν Ἀλεξάνδρου τελευτήν. Quod præclare quoque obſervavit Vlugus Beigus, Tamerlani magni nepos, in diſſertatione de Epochis celebrioribus Orientalium, quam Vir Doctiſſimus Joannes Gravius,

(*a*) Pag. 39. edit. Pariſ. A. C. 1628.

olim Aſtronomiæ apud Oxonienſes Profeſſor Savilianus, Perſice & Latine edidit. cap. 11. *de cognitione Epochæ Rumææ ſive Græcæ:* cujus verba hæc ſunt. *(b) Hæc epocha die Lunæ, elapſis annis duodecim ſolaribus a morte Alexandri, filii Philippi Græci, initium duxit.* Ab hoc ipſo tempore, ut annotavit Euſebius, τὴν Ἑλλήνων βασιλείαν ἡ τῶν Μακκαβαίων γραφὴ καταριθμεῖσθαι ἄρχεται: *Græcorum regnum numerare incipit Maccabæorum hiſtoria.* Ibi enim appellantur ἔτη βασιλείας Ἑλλήνων. Inde ab Arabibus & Perſis æra hæc nuncupata تاريخ اليوذانيين, *Epocha Græcorum,* ſive communius تاريخ رومي, *Epocha Rumæa,* ſive *Rumæorum,* i.e. Græcorum. Chryſoccæ ἔτη Ῥωμαίων. Ita Orientales olim Græcos appellabant, ut hodie Turcæ. Juxta hanc æram multæ civitates populique Syriæ & Meſopotamiæ, & Arabes quoque, tum Chriſtiani, tum Mahommedicæ inſaniæ & ſuperſtitionis ſectatores & diſcipuli, annos ſuos computare erant ſoliti: qua potiſſimum uſus eſt *(c)* Albatanius in ſuis cœleſtibus obſervationibus, quas Aracæ ſive Aractæ ad Euphratem ante octingentos annos habuit. Incepit ergo hæc æra anno periodi Julianæ 4402. a calendis Octobribus: h. e. annis 312. ante vulgarem Chriſti epocham: quod ex Inſcriptione XI. ubi de tempore, quo Julius Philippus Arabs præfectus Prætorio erat conſtitutus, agitur, certo conſtat. Hinc facili applicatione anni æræ Seleucidarum, in marmoribus recenſiti, annis Chriſti aſſignari poſſunt. Plura hic addere nunc non neceſſe erit. Qui ſubtiliores intricatioreſque Syriacæ chronologiæ apices edoceri vult, adeat, & quidem cum fru-

ctu

(b) Pag. 17. Londini 1650.
(c) Viz. anno Hegiræ 269. Chriſti 882.

ctu maximo, conſummatiſſimos horum temporum ſupputatores, Joſephum Scaligerum de emendatione temporum lib. v. Jacobum Uſſerium Armachanum de Macedonum & Aſianorum anno ſolari, & ſupra laudatum Henricum Noviſium. His prælibatis, ad annotationes in marmora Palmyrena, quæ primo loco & præcipue explicanda ſuſcepi, progredior.

Ad monumentum primum.

ΓΙΧΟC. An ab Arabico غيق, *gaijak*, *perturbatus & inconſtans in conſilio*?

MOKIMOY. Nomen hoc apud Syros ſatis commune, in hiſce monumentis quinquies reperitur. Μόκιμος, *ſtabilis*, *conſtans*, nimirum a quarta conjugatione τοῦ قام, inde مقام, *mokam*, *ſucceſſor*, quaſi poſitus & conſtitutus loco alterius; ut explicat doctiſſimus Golius

KAIΛKIΛΛCICOY. Ita in exemplari ex Syria transmiſſo, quod apud me habeo. Vox, ut videtur, admodum perturbata, nec qualicunque conjectura facile reſtituenda. Quid ſi, unica litera tranſpoſita, legeretur. KAIΛKIΛΛCICOY? a قلق, *kalaka*, *commotus & inquietus fuit*, & a لزيز, *lazizo*, *vehemens*, *conjunctus*, *& individuus ſocius*. Sed fortaſſe probabilius videbitur legendum TOY KAI AKIΛΛCICOY, in quo nomen *Dei*, cum epitheto *fortis*, continetur. אל עזוז, *El azzuz* Ebraice, الله عزيز, *Alla aziz* Arabice. Sed hoc eſt hariolari; & omnino pudet.

MA... OY. In MS Incertum, an MAΛΧΟΥ, MANNAIOY, vel quippiam tale: nec refert.

Si numeri recte in charta, prout exſtant in marmore, ſignentur, erit hæc Inſcriptio omnium, quas viderunt noſtrates Ὁδοιπόροι, antiquiſſima, anno nimirum æræ Seleucidarum CCC. XIV. h. e. æræ vulgaris Chriſti tertio. Sed ſpero Deſcriptorem mihi audaciæ veniam pro candore ſuo indulturum, ſi, annon illic exſtitiſſet DIY, quo anno & menſe monumentum ſequens Elabeli conditum erat, dubitavero. Præterea figuræ literarum cum tanta antiquitate non conveniunt. Nam ut optime obſervavit Vir Eruditiſſimus, (d) D. Harduinus, τὸ C pro Σ vix occurrit in nummis aut marmoribus *ante Domitiani principatum, poſt illum non aliter fere:* veteri forma pingendi σίγμα per Σ prorſus ablegata. Quod de characteribus literarum E & Ω pariter dicendum eſt. Hoc plane invictum mihi videtur argumentum, aut Quadratarium aut Exſcriptorem in notatione anni hujus marmoris erraſſe.

ΞΑΝΔΙΚΩ. Ita ſemper ſcribitur cum Δ in hiſce monumentis.

Ad ſecundum.

EKTICAN. Male, ni fallor, exſcriptum pro EKTICEN. Hoc enim monumentum ab Elabelo ſolo, ΑΥΤΩ, (ita exerte legitur in MS. non ΑΥΤΟΙC) ſibi & filiis conditum erat. Mannæus, Sochæus, Malchus, ad eundem pertinent, & quaſi agnomina debent reputari, aſſumptis, ad ipſum a reliquis ejuſdem nominis

(d) De nummis antiquis populorum & urbium pag. 15. & de nummis Herodiadum. pag. 31. 84.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

nis diſtinguendum, & avi & proavi nominibus. Filius erat Vaballathi, quod nomen videtur a Palmyrenis amari: de cujus origine mox agam.

ΕΛΑΒΗΛΟC. Quaſi a Deo Belo. Belus autem a בעל, ſive contracte בל, quod Chaldaice, *dominum* ſignificat, ut omnes norunt.

MANNAIOC. A مناع, *mana*, *largitor*, *munificus*: vel potius a منّ, *manua*, *benevolus & benignus fuit*, *bene fecit*.

COXAEIC. Forte pro COXAHC, diphthongo ει in hiſce Inſcriptionibus interdum pro vocali η poſita. Incertum, an a صكا, *ſaka*, ſive *ab aſſiduitate laboris*, an potius Elabelus fuerit ortu *Sochæus*, non a civitate Σοκχὼθ, *Sochotha* in Judæa, quam condidit Roboamus, filius Solomonis, II Chron. II: 7. Sed a *Sochis*, (ΣΟΧΟΙC) Aſſyriæ urbecula, de qua Arrianus in lib. II. expedit. Alexandri: Ἡ δὲ χῶρος οὗτος ἐστὶ μὲν τῆς Ἀσσυρίας γῆς, ἀπέχει δὲ τῶν πυλῶν τῶν Ἀσσυρίων ἐς δύο μάλιστα σταθμοὺς.

ΜΑΛΧΟC. A מלך, ſive ملك, *malech*, *rex*. Nomen apud Syros & Arabes admodum frequens. *Malchus* ſervus Pontificis Judæorum, apud S. Joannem XVIII: 10. *Malechus* Nabatæus apud Dionem lib. XLVII. & *Malechus*, Podoſaces nomine, Phylarchus Saracenorum apud Ammianum Marcellinum lib. XXIV. Ita quoque a pueritia lingua patria nuncupatus fuit Porphyrius philoſophus. Nomen enim *Malchi* præceptor ejus Longinus in vocem cognatæ ſignificationis, ΠΟΡΦΥΡΙΟΝ, Græcorum auribus longe jucundiorem gratioremque convertebat. Purpureæ enim veſtes erant propriæ Regum & Imperatorum. V. En-

napium in vita Porphyrii. Ut a cæteris ejuſdem nominis recenſendis abſtineam.

ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟΥ. *Vaballathus* a vehementi mentis impetu nuncupatus. وبل, *vabala* enim, *acriter perſecutus fuit prædam*, notat.

Ad tertium.

Teibæ ab oriente Palmyræ verſus Euphratem, quam tertio die attigerunt, lapis muro Moſcheæ inverſim affigebatur, hoc modo inſcriptus.

ΚΕΡΑΥΝΙΩ. *Jovi fulminatori.* Titulus frequens & in inſcriptionibus & in nummis. V. illuſtrem Spanhemium de uſu & præſtantia numiſmatum diſſert. v. & eruditiſſimum Noviſium de epochis Syro-Macedonum, diſſert. III. cap. 8. Compoſita Jovis epitheta apud Homerum Τερπικέραυνος & Αργικέραυνος vel pueris nota.

ΑΓΑΘΑΝΓΕΛΟC. Iſta fuit antiquorum temporum orthographia, quam poſteriores Grammatici immutarunt. Infinita enim pene occurrunt τοῦ ν ante γ & κ in vetuſtis membranis, marmoribus, & nummis exempla, cuivis vel indiligenti Lectori ſatis obvia.

ΑΒΙΛΗΝΟC. Abila urbs Cœle-Syriæ, quam recenſent, *(e)* Plinius & Ptolemæus in regione Decapolitana. Eſt & alia urbs ejuſdem nominis in Palæſtina, quam a priori diſtinguit Stephanus Byzantinus: Ἀβίλη πόλις ἐπὶ τῷ Ἰορδάνῃ: h. e. citra iſtum fluvium, cujus

(e) Nat. Hiſt. l. v. c. 18. *Jungitur ei* (Judææ) *latere Syriæ Decapolitana regio, a numero oppidorum, in quo non omnes eadem obſervant.* Poſtea: *Intercurſant cinguntque has urbes tetrarchiæ, regionum inſtar ſingulæ, & in regna contribuuntur: Trachonitis, Paneas, in qua Cæſarea cum ſupra dicto fonte, Abila, Arca, Ampeloeſſa, Gabe.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

cujus ſæpe meminit Joſephus. Utraque vero regio Decapolitana (a numero decem urbium nuncupata) tam Phœnicum quam Syrorum, ex aliqua parte ab invicem interfluo Jordane olim diſtincta, ob vicinitatem & conterminos fines interdum confundi videtur. Agathangelum vero Syrum potius quam Palæſtinum fuiſſe crediderim.

Reliqua de altaribus aliiſque monumentis votivis pro ſalute felicibuſque Imperatorum expeditionibus, pro domus auguſtæ incolumitate, pro denique illorum vitæ & imperii perennitate, & de ædium ſacrarum apparatu & choragio, a quamplurimis Philologis millies explicata & cognitiſſima, nulla illuſtratione egent.

Ad quartum.

Columnas, obeliſcos, & altaria in perpetuam Benefactorum, qui de patria eſt Dis municipibus præclare meriti ſunt, memoriam erigere, ab omni ævo apud quaſvis bene moratas gentes ſolenne erat, iſtiuſmodi monumentis illorum virtutes & pietatem ſuamque gratitudinem teſtaturas.

BAPEIXEIN. Βαρείχην. ברך, *baruch*, Ebraice *benedictus*, & بَرِيك, *barik*, Arabice *benedictione & copia abundans*. *Baruch*, miniſter & Amanuenſis Jeremiæ Prophetæ; Βάρυχος Græce, & cum additamento divini nominis Jah, *Barachias*.

AMPICAMCOY. *Amri*, *Omar*, & *Omri*, nomina apud Palæſtinos, Syros, & Arabes frequenti in uſu. Hic diſtinctionis gratia additur ϲαμϲοϲ a שמש, ſive شمس, *ſams*, quod *Solem* ſignificat. Hinc Eſſeni, qui, ut (*f*) Philo & (*g*) Joſephus ſcribunt, bis ſin-

(*f*) περὶ βίυ θεωρηλικῦ.
(*g*) De bello Judaico lib. II. cap. 12.

ſingulis diebus h. e. ad ortum & occaſum Solis, facie εἰς ἥλιον. h. e. ut ego interpretor, verſus Solem converſa, ſolennes orationes habuere, quod alibi fuſius probabo; a (*h*) S. Epiphanio nuncupantur Σαμψαῖοι, h. e. Ἡλιακοὶ, ut ille recte vertit.

ΙΑΡΙΒΟΛΕΩϹ. Ιαριβολεὺς eadem vox eſſe videtur, quoad originem ſuam, cum Ιαριβώλῳ, de quo poſtea, licet diverſæ formæ.

Notæ numerales anni eraſæ erant, nec potuerunt legi: quod dolendum eſt.

Ad quintum.

ΑΑΙΛΑΜΕΝΑ. حليل, *halil, conjux, maritus, contubernalis:* vel خليل, *chalil, amicus intimus:* & امين, *amin, firmus, ſecurus, fidus.*

ΠΑΝΟΥ. Forte a فان, *phana, evanidus, caducus, ætate confectus.*

ΠΑΝΟΥ ΜΟΚΙΜΟΥ. Ita in exemplari manuſcripto, juxta quod harum Inſcriptionum editio in Actis Philoſophicis exigebatur. Ideo male interponitur articulus ΤΟΥ, qui hic plane abjiciendus eſt. Panus Mocimus unus idemque eſt hiſce duobus nominibus inſignitus.

ΠΑΤΕΡΑ. *Avum* interpretari oportet: non enim aliter ſibi conſtabit Inſcriptio, cum Alilamenes perſpicue hic nuncupetur filius Pani Mocimi, & ΤΟΥ ΑΙΡΑΝΟΥ, Airanis nepos. Quod vero πατὴρ ita reddi poſſit, non a vero abhorrere videbitur illi, qui modis loquendi

(*h*) Hæreſi LIII. pag. 461.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

loquendi apud Judæos, Chaldæos, & Syros paulo diligentius attenderit. Quod unico exemplo demonſtratum ibo. Certiſſimum eſt, Nabuchodonoſorum, qui *pater* Baltaſaris. Dan. v: 3, 11, 13. ter expreſſe nominatur, fuiſſe illius avum: Baltaſarem identidem, illius filium nuncupatum, fuiſſe Evilmerodachi filium, & Nabuchodonoſori nepotem: quod ex collata ſacra hiſtoria cum aureis Beroſi & Abydeni fragmentis manifeſtiſſime conſtat.

Ad ſextum.

ΑΦΙΕΡΩΘΗ ΑΑΙΛΥΝΔΙΟΥ ΤΟΥ ΑΜΦ ΕΤΟΥϹ - Ita in MS. Legendum omnino Α ΑΥΔΥΝΑΙΟΥ h. e. primo die menſis Audynæi anni DXLI. quod certiſſimum eſt, nec a quoquam negandum. Numerus & ductus literarum hanc emendationem facillime admittunt. In cæteris Inſcriptionibus, ut paſſim videre eſt, anno apponitur menſis Syro-Macedonicus. Nec minus ſolennis fuit apud Græcos & Romanos mos iſte menſes annotandi. Infinita pene apud Gruterum (*i*), Reineſium, & Sponium occurrunt exempla: ex quibus unum tantum, cum ſit prorſus ſimilis argumenti, hic ſubjiciam.

DEDICATVM K. OCTOBR.
L. CVSPIO RVFINO
L. STATIO QVADRATO COSS.

An lapis iſte ſit baſis ſtatuæ aut columnæ, ſive tabula portæ fani, a Materno, Pappo, & Marco dedicati, ii, qui viderunt, in itinerario non animadvertunt,

(*i*) apud Gruter. M. LXXXII. 18.

tunt, ſolummodo contenti dixiſſe, magnam illius partem ſubtus terram defixam fuiſſe.

Mutilationes reliquaſque inter exſcribendum admiſſas alliterationes conjecturis reſarcire conari vix operæ pretium erit.

Ad ſeptimum.

ΜΑΛΗϹ. Proculdubio nomen Syriacum, nec temere immutandum, boni ominis & optandæ felicitatis cauſa, ملمي, *mali*, *opulentus*, *dives*, a parentibus pro more apud Judæos, Syros, Phœnices, maxime uſurpato impoſitum. Inde enim amor parentum erga liberos, quibus recens natis, fauſtis nominibus arreptis, bene ominantur, primo apparet. Gente & origine Malen, qui & Agrippas cognominatus, & quo nomine Romanis, ſive victoribus, & dominis, ſive hoſpitibus innotuit, Syrum fuiſſe, ex nominibus patris & avi liquet.

ΙΑΡΑΙΟΥ. *Jaræus* forte ab Ebraico ירא, *jare*, ſive Arabico ذراع, *timens*, *trepidus*. Nam veram omnium Syriacorum nominum ſignificationem pro certo eruere & firmare difficillimum, nec id quiſquam, niſi parum prudens judico, præſtabit.

ΡΑΑΙΟΥ. *Raæus* a רעה, ſive رعي, *pavit*, *cuſtodivit*, *rexit*, *curavit*. Sed ad certiora procedo.

Males ille erat Scriba iterum in ſolennibus ludis & conventibus conſtitutus: vel ſaltem pro iſta vice, quando Palmyræ aderat Hadrianus cum exercitu. De dignitate & munere τῶν Γραμματέων Seldenus ad marmora Arundelliana, Reineſius in præclariſſimo & nunquam ſatis laudato Inſcriptionum antiquarum Syntagmate,

gmate, & *(k)* Harduinus in nummis antiquis abunde egerunt: quorum ſcrinia expilare, ut turpe & inhoneſtum, ita in re manifeſta multijugam lectionem oſtentare, ex ſolis indicibus inſpectis conſultiſque, hominis vani & plane δοκησισόφου jure cenſebitur.

Vir ſane ſui nominis Males, ſi de origine illius non prorſus male conjectatus ſum, & popularis auræ cupidiſſimus, qui, quo tempore Hadrianus imperator ſuſcepta verſus Perſidem & Arabiam expeditione illac tranſiret, benignitate magnifica tum erga hoſpites & advertores, tum erga municipes & concives ſuos exhibita, ΑΛΙΜΜΑ, ſeu, ut ſcribi oportuit, ἄλειμμα, *oleum* in illorum ſubſidium & refrigerium ſuppeditavit. Hadrianus autem anno regni undecimo, qui decimo die Auguſti anni Chriſti CXXVIII. finiebatur, Torquato Aſprenate & Annio Libone Coſſ. ab iſtius anni Juliani initio in Orientem ſuſcepto itinere, in Syriam pervenit, & inde per Arabiam in Ægyptum profectus eſt: ut ex nummis iſthoc anno, in multis Syriæ & Ægypti civitatibus, in illius honorem, dum præſens aderat, percuſſis, quorum meminit Harduinus, ad eundem annum clariſſime demonſtrat doctiſſimus *(l)* Pagius. Quamdiu vero Imperator ille Antiochiæ, aut Palmyræ, cæteriſve Syriæ urbibus inſederit, nondum liquet. Hoc autem primo illius in Syriam adventu Malen, præclaris muneribus apud ſuos defunctum, poſtea Romanorum exercitui verſus Arabiam & Ægyptum proficiſcenti inſerviiſſe, mihi quidem pluſquam veriſimile videtur. Sed res extra dubium fuiſſet poſita, modo calculus ſive notatio anni in marmore comparuiſſet. De hac vero aliiſque numerorum eraſionibus

(k) Pag. 331.
(l) Critic. in Baronii Annales.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

bus paſſim obviis maxime dolendum eſt.

Oleum illud balneis Agrippæ ſumptibus impenſum, aut lampadibus, aut, quod huic Inſcriptioni magis videtur accommodum, corporibus ungendis inſerviebat. Apud Romanos, Græcos, Orientiſque populos, uti hodie apud Turcas, non modicum ἀνδραγάθημα habebatur, balneas & lavacra erigere, aut ruinis prope obnoxia reparare, pecuniis quoque perpetuis dono datis ad miniſtrantium, ut præſto adſint, aliarumque rerum, puta, lignorum, olei, aquarum, quarum uſus in thermis neceſſarius, procurationem: ut ejuſmodi balneæ parietibus & pavimento integræ perennarent, & denique ut lavationes fierent gratuitæ; ut fuſe oſtendit Reineſius, vir undequaque doctiſſimus, & cum maximis hujus ſeculi viris merito comparandus, in prælaudato opere.

Cum vero balneorum uſus in exercitationibus gymnaſticis eſſet conſtantiſſimus, athletarumque corpora ad firmandos artus inducendumque vigorem ungerentur, beneficium hoc Agrippæ eo uſque extendi poſſet, & merito quidem, modo ejuſmodi palæſtritarum collegia apud Palmyrenos tunc temporis inſtituta fuiſſe conſtaret.

ΥΠΗΡΕΤΗϹΑΝΤΑ. In Inſcriptione XI. vox eadem occurrit. Proculdubio in iſta expeditione Hadrianum comitatus eſt Agrippa, tanquam dux viæ, cui regiones iſtæ, per compendia viarum a militibus peragrandæ, erant cognitiſſimæ, & alia miniſteria, quibus, utpote indigena, optime defungi norat, exercitui utilia obibat.

Ad Octavum.

ΕΠΗΚΟΩ. Elogia, quæ ſupremo ac vero numini maxime

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

maxime conveniunt, Jovi a ſuperſtitioſis Gentilibus, tum ſparſim, tum cumulate, pro more attribuuntur. Ita nimirum pro verſutia ſua miſeris cæciſque hominibus impoſuit Diabolus, ut iiſdem titulis, iiſdemque ritibus ac cultu, quem ipſe Deus inſtituit, æmulatione arrogantiſſima honorari voluerit. Vix quippiam elogium aut divinæ bonitati aut curæ ipſius & amori erga mortales, in anguſtiis dira neceſſitate conſtitutos, aut hoſtium vi oppreſſos, aut morbis, egeſtate, aut quocunque periculo, potiſſimum inſtante mortis meta, implicitos aptari poterit, quam τοῦ Ἐπηκόου, h. e. *Dei propitii & illorum preces facili aure exaudientis. Deus, qui exaudis orationem:* ut habet codex Ebraicus Pſalm. LXIV. II. Phraſis quoque ſolennis, ἐπακούσας τῆς εὐχῆς Θεὸς apud Græcos Scriptores, a veri Dei cultu alienos: quod etiam dictat ratio naturalis. Mirandum vero, titulum hunc in altaribus, ſtatuis, aliiſque monumentis ob victoriam, ſalutem, aut beneficium qualecunque ex inſperato collatum, erectis non frequentius comparere, tantumque bis in vaſto opere Gruteriano, quod ex accuratiſſimo indice, inexhauſta Joſephi Scaligeri diligentia confecto, cuivis obvium eſt, reperiri.

ΒΩΛΑΝΟC. *Bolanus* Syrus ex nobili & antiqua familia ſatus, ut ex congeſtis recto ordine & ſerie majorum nominibus liquet. Ebraice & Phœnicice בועל עני *Boel* (Syriace *Baol*) *ani*, *dominus ſive patronus pauperum & afflictorum.* Quidni enim participium primariam verbi ſignificationem retinere poſſit, ac idem plane eſſe cum ſubſtantivo בעל *Baal*? *Boel* ſive *Baol* juxta Græcæ linguæ genium cum terminatione uſitata bene & recte redditur Βῶλος: quod ut hic in compoſitione præfigitur, ita quandoque poſtpoſitum in fine nominum propriorum, prout imponenti-

bus viſum fuit, reperitur, ut hic *Jaribolus*, & in Inſcriptione Græcæ tabulæ poſtea memorandæ ab Heliodoro Palmyreno appoſita, *Aglibolus*:

ΑΓΛΙΒΩΛΩ ΚΑΙ ΜΑΛΑΧΒΗΛΩ ΠΑΤΡΩΟΙϹ ΘΕΟΙϹ.

Neque enim iſta lectio mihi videtur ullatenus ſolicitanda, quaſi erraſſet quadratarii manus, quod contendit Scaliger qui ΑΓΛΙΒΗΛΩ vult legendum. *Aglibolus* autem eſt *dominus temporis præfiniti*, h. e. qui fatales hominum vitæ terminos conſtituit. Vox enim אגל *aghal*, in alieno licet ſenſu in ſacro codice ſemel tantum reperiatur, in lingua vero Arabica اجل, quæ per tot terrarum plagas diffuſa, origines vetuſtoſque vocum Ebraicarum ſignificatus ſervavit, hoc ſenſu frequentiſſime occurrit. Bolanus apud Syros nomen ſatis notum, qualis ille Bolanus, (incertum Epiſcopus an Presbyter) in fronte epiſtolæ encyclicæ Aſſeſſorum Synodi Antiochenæ, de qua poſtea, contra Paulum Samoſatenum ſcriptæ: e qua gente Nicomus Iconienſis Epiſcopus & Malchion Presbyter, illic quoque memorati, ex notatione nominum oriundi videntur.

ΖΗΝΟΒΙΟϹ. Forte ab obæſitate corporis primo ita nuncupatus, a زقب *zaniba*, pinguis fuit.

ΑΙΡΑΝΟΥ. *Airanes* ita boni ominis cauſa appellatus: ارن, *arin*, *alacer*, *lætus*.

ΜΑΘΘΑ. Idem ac *Matthan*, *Matthæus*, *Matthias*, *Mattathias*; nomina apud Syros & Palæſtinos notiſſima. h. e. donum Dei. Græce Doſitheus, Theodorus.

ΕΦΘΑϹ ΠΗΓΗϹ. In MS. ΕΦΚΑϹ. Hinc quidam affinitate ſoni ducti, ΑΦΑΚΑϹ legendum ſtatuunt: argute magis, quam vere. Hanc enim παραδιόρθωσιν neque conſtructio verborum neque veritas rei feret: quod

quod paucis oſtendendum. Αφακα, inquit (*m*) Zoſimus, *χωρίον ἐςὶ μέσον Ηλιουπόλεως τὲ καὶ Βύβλου, καθ' ὃ ναὸς Αφροδίτης Αφακίτιδος ἵδρυται*: *Aphaca locus inter Heliopolim & Byblum, ubi eſt fanum Veneris Aphacitidis*: fanum nimirum in luco acclivi & devio, ut Euſebius docet, lateraliter verſus cacumen montis Libani excurrente ſitum, quo explendæ infandæ & ſpurciſſimæ libidinis gratia confertim & quaſi agminibus collectis impuriſſimi homines ac mulieres omni pudore vacuæ ſeſe contulerunt, quaſi ſub tutela & patrocinio Veneris in locis iſtis impeditis, ubi nemo moribus gravis & modeſtus accedere auſus eſt, flagitioſa quæque perpetrare licuiſſet. Hanc turpem nequitiarum ſcholam tandem funditus everti juſſit Conſtantinus Imperator: ut in oratione in tricennalibus habita de laudibus Conſtantini ſect. VIII. fuſe & eleganter oſtendit idem Euſebius, ubi τὸ ἐν Αφάκοις excidiſſe videtur: & iiſdem verbis poſtea repetit in tertio de vita magni illius Imperatoris libro cap. 55. e quo hauſerunt (*n*) Socrates & (*o*) Sozomenus. Sed fontis nulla apud Euſebium mentio. Lacum quendam in modum ciſternæ artifici manu fabrefactum ab illo fano non procul abeſſe dicit Zoſimus, de quo ſtrenuus iſte δεισιδαιμονίας Gentilium pugil multa miranda fingit: hunc lacum in flumen cognomento Adonidis, poëtices næniis deluſus, Sozomenus convertit. An vero quicquam cum hoc lacu ſive fluvio commune habeat fons in Inſcriptione memoratus, viderint alii: vix enim illud admiſerim: præſertim cum τὸ Εφκᾶς pro Αφάκης aut Αφάκας poni poſſe ab omni veriſimilitudine abhorreat. Τὸ enim Αφάκα,

nomen

(*m*) Pag. 53. edit. Oxon. 1679.
(*n*) Hiſt. Eccl. l. 1. c. 18.
(*o*) Hiſt. Eccleſ. lib. III. cap. 5.

nomen loci, aut illius partis Libani, ubi templum Veneris condebatur, ſemper plurali numero effertur apud ſupra dictos Scriptores.

Deinde talem verborum poſitionem & ordinem non patitur Grammatica: quod pueri ſeptennes norunt. Si enim proprium nomen fuiſſet, illud poſtponi oportuerat. Quid ſi ergo legerim ΙΕΡΑΣ, cum idem ſit literarum numerus; quaſi Bolanus cujuſpiam ſacri fontis prope Palmyram Curator fuiſſet conſtitutus? Reſtat hodie fons quidam perennis, per intervallum horæ, uti mos eſt apud Orientales locorum diſtantias metiendi, ab urbe diſſitus, cujus latices, tanquam guſtui maxime gratos & ſalubres, noſtrates, quibus præ vino erant pro deliciis, experti ſunt, mirifque celebrarunt laudibus. Sed in re obſcuriſſima nihil certi ſtatuendum eſt, donec novum lumen, quod opto, ex marmore iterum meliuſque inſpecto oriatur.

Hæc pridem ſcripſi, de vera hujus vocabuli lectione plane dubius; præſertim cum Deſcriptor, qui illud proprium fontis nomen eſſe vult, de ipſius fide & diligentia nos hac ex parte pene ſecuros ſecum eſſe juſſerit. Sed Londini conſiliis cum Amico integerrimo, D. Bernardo, jam tum ex Hollandia reduce, cujus ſublimi ingenio dubia quæque & difficilia, quæ in hiſce Inſcriptionibus occurrunt, facile in adnotationibus explicabuntur, hac de re communicatis, reſpondebat ſe alio exemplari adjutum legiſſe ΕΦΘΑΣ. De cujus ſententiæ, in quam facilis ibam, veritate & certitudine confirmatior redditus ſum, quod in noſtratium Itinerario ſive Palmyræ Notitia repererim, aquas calidas, canaliculis incluſas & perpetuo labentes, illic paſſim abundare: potiſſimum vero dimidio ab urbe verſus occidentem milliari, in quas facile & commode deſcenditur,

ditur, & quo etiam hodierni incolæ valetudinis aut conſervandæ aut redintegrandæ cauſa frequentes accedunt. Prope vero hunc rivum ſive columnæ ſive altaris (nam ſubdubitanter ſcribunt) effracti & disjecti integra baſis manet, quæ hanc ἐπιγραφὴν exhibet.

ΥΠΟ ΙΑΡΙΒΩΛΟΥ ΘΕΟΥ. In origine hujus vocabuli plane hæreo, an a ירה בועל, *Jara bol*, *Dominus ejaculator*, an a ירא בועל, *Jare bol*, *Dominus metuendus*. Cum vero neutra mihi rem accuratius perpendenti vix placeat, non invitus inducerer ad aſſentiendum D. Hallejo, qui admodum ingenioſe cenſet illud derivandum a ירח בועל, *Jerach bol*, quaſi idem eſſet ac *Deus Lunus*, ſi in Inſcriptione Græca Heliodori Palmyreni non ΑΓΛΙΒΩΛΩ ſed ΑΓΛΙΒΩΛΩ, quod etiam ab Exſcriptore detortum vult ex ΙΑΡΙΒΩΛΩ, legi debuiſſet. Ille vero acrius contendit de ſuæ conjecturæ veritate, quod figura lunæ corniculatæ inter humeros pari intervallo verſus caput alterutrinque ſurgentis in altera imaginum illic poſitarum conſpiciatur. Conceſſa hac ingenii laſcivia quid non exſculpere licet? Non aliter autem legerunt, quotquot jam per centum annos inſigne illud monumentum curioſis exploraverint oculis: nec quicquam adhuc de variante lectione ſolertiſſimi Romanarum Antiquitatum indagatores memorarunt. Quis vero fuerit iſte Jaribolus, plane hactenus incertum & inexploratum eſt: an peculiare Syrorum numen ab indigenis cultum, ſive Deus ἐντόπιος, quales erant *Aglibolus & Malachbelus*, an cognomen cujuſpiam Imperatoris de Palmyrenis merentiſſimi, inque Divorum cenſum poſt mortem relati, quem hoc titulo honorarunt: eodem modo, quo Antoninus Baſſiani ex Sœmiade, Juliæ Mammææ ſorore, filius, *E-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

lagabali, Syri numinis, *qui ubique fere* (verba ſunt magni (*p*) Seldeni in laudatiſſimo de DIS Syris opuſculo) *idem cum Sole agnoſcitur*, nomen aſſumpſit. Si vero quiſpiam Seldeno ex metatheſi literarum, & ſcriptionis & pronuntiationis in propriis nominibus ex una lingua in aliam, præſertim ab omni affinitate alienam, traducendis variatione, quod poſtulat, * *Alagabalum* pro *Agalibalo*, cujus etymon eruit, quaſi עגל בעל *Agol baal*, ſeu Ζεὺς ἐπικυκλίδιος, *Deus circularis aut volubilis*, poſitum fuiſſe conceſſurus ſit, Lectorem eruditum conſtituo arbitrum, an non *Agalibolus* ex ſimilitudine ſoni, quem vox ſive Græce ſive Latine prolata exprimit, non ſit prorſus idem, vel ſaltem parum diverſus ab *Aglibolus*. Sed per me *Elagabali* nomen abſque ulla mutatione maneat integrum: cujus veram etymologiam, utpote loco alieno, hic non venabor. Sed ad Jaribolum redeo.

Identidem occurrit in Inſcriptione XI. Hoc tamen quod neutiquam celabo, videtur obſtare, quo minus de aliquo Imperatore a ſuperſtitioſis adulatoribus inter Divos recenſito intelligi poſſit, quod longum iſtud annorum in utriſque marmoribus ſignatorum intervallum non permittat, ab eodem, dum in vivis eſſet, Bolanum hujus fontis Curatorem conſtitui, & Julium Aurelium Zenobium teſtimonio commendari ſimul potuiſſe. Veruntamen cum Bolanus ſit alterius Zenobii, ejuſdem fortaſſis cum Julio Aurelio ſtirpis, filius, pene crederem, errorem in notis numeralibus admiſſum fuiſſe, & ΔΟΦ pro ΔΟΥ eſſe ſubſtituendum. Sed eſto Deus topicus Jaribolus, non repugnabo: attamen conſtat ex Inſcriptione IV. idem nomen viris longe infra

(*p*) Syntagm. II. cap. I. pag. 220. edit. Lugd. Bat. 1629.
* Pag. 223.

ſra dignitatem purpuræ conſtitutis, interdum attributum fuiſſe: niſi quis dixerit, ΙΑΡΙΒΩΛΟC & ΙΑΡΙΒΩΛΕΥC omnino inter ſe differre. In ejuſmodi ſalebris nemo pedem adeo firmiter figere poteſt, quin ſæpe impingat.

Ad Nonum.

ΜΑΡΘΕΙΝ. ΜΑΡΘΗΝ. Martha, nomen fœminis Judæis & Syris commune: a مرث, *maratha*, nimirum a lenitate & manſuetudine, qualis fœmina, erga maritum præcipue, eſſe debet, vel potius a Syriaco *martha*, domina. Inde B. Virgo Maria ab Arabibus quandoque nuncupatur مارت مريم, *marat Mirjam, domina Maria.*

ΚΑΠΑΔΗΤΟΥ. Καπαδήτης vel a خافض, *chaphid, a deprimendis ſuperbis*, vel a خفض, *chapda, a vita commode & leniter acta*, vel a قفد, *kapada, peregit & conſummavit opus.*

COPAIXOC. An a شرق, *ſharaka*, quaſi *vir orientalis:* vel potius a ضراك, *dſorak, animo acer, ira vehemens:* unde *leo* hinc quoque dictus. Nomen proculdubio in vulgari uſu apud Syros. Inde (q) Jamblichus Chalcide, Cæle-Syriæ urbe, natus, in libello ſuo δραματικῷ, ſive de amoribus Rhodanis & Sinonidis, non modicam iſtius fabulæ amatoriæ partem Soræcho Soræchi filio attribuit.

Ad Decimum.

ΤΕΛΕΟΔΟΤΗΝ. In MS... ΕΟΔΟΤΗΝ. Si per apices litera-

(q) Apud Phot. in Myrio biblo Cod. XCIV.

literarum liceret, vellem legere CITOΔOTHN, *frumenti proviſorem ſive largitorem.* Quæ vox apud Græcos Scriptores frequenter occurrit. Nemo, qui Palmyræ & regionis illius ſolitudines longe lateque jacentes, ſterilibuſque arenis coopertas in mentem revocat, diffiteri poterit, munus illud comportandi annonam reliquumque commeatum e locis fertilioribus, ne cives, vel potius novæ coloniæ advenæ, ex urbe transmiſſi, fame premerentur, maxime fuiſſe neceſſarium, & dignitatis quoque maximæ.

THC MHT....., NEIAC. Μητροκολωνείας. Ita enim lacunam rectiſſime ſupplendam eſſe vox eadem mox plene repetita certiſſime indicat. Μητροκολωνεία autem ab iſta urbe, ut mihi quidem videtur, diſtingui debet: utpote locus vel in campis prope deſertum, vel cis Euphratem, excipiendis peregrinantibus deſtinatus, ut mercatores ex Perſide, Meſopotamia, & Arabia in Syriam Palæſtinamque transeuntes, aut e contra, Palmyram, ad quam aliter vix facilis per inhoſpita teſqua daretur acceſſus, commodius adirent. Videntur enim mercatores ejuſmodi commoditatum defectu, relicta Palmyra, aliam viam ſecuriorem & compendioſiorem, in qua ἐφόδια melius pararentur & ſuppeditarentur, nuper petiiſſe: quod ſequentia verba plane innuunt, Septimium Vorodem, de quo in ſequentibus Inſcriptionibus, ἀνακομίσαντα τὰς συνοδίας ἐξ ἰδίων i.e. intermiſſos illos mercatorum ſolennes conventus & congreſſus in urbe patria revocaſſe ſeu reduxiſſe, conditis diverſoriis receptaculiſque, frumento reliquoque ad vitam neceſſario apparatu inſtructiſſimis: qui ob hanc magnificentiam in opibus οἴκοθεν in iſta principali colonia ſupplenda, cujus & Prætor & Ædilis erat conſtitutus in uſum extraneorum, (qui tamen cives Palmyrenos

ſuis

ſuis mercibus & ornaturi & ditaturi eſſent) impendendis inſigne a Præfectis Societatis mercatorum elogium adeptus eſt, & apud Senatum populumque Palmyrenum hac quoque de cauſa maxima floruit gratia, utpote de illis univerſis optime meritus. Jam enim a longo tempore i e ante tria ſecula & ultra, Palmyra divite commercio floruerat, & inter celeberrima Orientis emporia habebatur, ob commodum in utriuſque imperii tum Parthorum tum Romanorum confiniis ſitum. Inde iſta opum amplitudo accreverat: inde perpetuus iſte mercatorum confluxus. Ἔμποροι γὰρ ὄντες, ut ait (r) Appianus Alexandrinus, κομίζουσι μὲν ἐκ Περσῶν τὰ Ἰνδικὰ καὶ Ἀράβικα. διατίθενται δ' ἐν γῇ Ῥωμαίων. Qua de cauſa Marcus Antonius, (ſ) levi tamen prætextu arrepto, quod eſſent ambiguæ fidei, nec iis aut in Romanorum aut Parthorum partes captata occaſione, pro commodo ſuo tranſituris, bene fidendum eſſe, ad diripiendam urbem opulentiſſimam equitum turmas miſit: ſed hujus rapacem opum merciumque cupiditatem, iis ad ulteriores Euphratis ripas extra periculum rapinæ abductis, Palmyreni feliciſſime evaſere.

Idem ſuccedentibus ſeculis viguit commercium Palmyræ, in quam, tanquam apothecam, mercatores peregrini merces ex India & Perſide petitas intulerunt, inde alio vehendas. Ita enim de ſuis temporibus videtur intelligendus (t) Plinius. *Huc* (i. e. in Petra, civitate Nabatæorum) *convenit utrumque bivium, eorum, qui Syriæ Palmyram petiere, & eorum, qui ab Gaza venerunt.*

Στρατηγοὶ & Στρατηγοῦντες & hic & alibi, & in num-

mis

(r) De bellis civilibus lib. v.

(ſ) Ῥωμαίων καὶ Παρθυαίων ὄντες ἔφοροι, εἰς ἑκατέρας ἀποδεξίως εἶχον. ibid.

(t) Nat. Hiſt. lib. VI. cap. 28.

mis poſt Antoninorum tempora frequentiſſime, iidem ac Prætores, ſummive urbis & coloniarum magiſtratus, ſive Præſides, utpote militiæ Rectores. Vide Harduinum de hoc titulo pro more erudite diſſerentem in præclaro de nummis antiquis populorum & urbium Syntagmate pag. 21, 22.

De munere & dignitate Sympoſiarchi ſive ſacrorum conviviorum arbitri vide quæ ex Polluce, Plutarcho, & Athenæo operoſe collegit Stuckius in Antiquitatum Convivialium libro II. cap. 7. & quæ habet de epulis ſacrificialibus lib. I. cap. 33. ubi & multa occurrunt de pulvinaribus & lectiſterniis Deorum.

Ad undecimum.

ΖΗΝΟΒΙΟΝ. Vide ad Inſcript. VIII.

ΖΑΒΔΙΛΑΝ. זבד אלה Ebraice: Arabice vero زبد الله, *zabdalla, donum Dei.*

ΔΙΣΜΑΛΧΟΥ. دايص ملكي, *dais malki, aſſecla ſive miniſter Regis, qui juſſa ejus obit.*

ΝΑΣΣΟΥΜΟΥ. An ab Ebraico נזם, *nezem, monile,* an ob indolis bonitatem morumque ſuavitatem, a نسم, *naſama, leniter & grato modo ſpiravit ventus, aura, odor?*

Militares copias duxit Julius Aurelius Zenobius, quo tempore Alexander Severus, qui, ortu quidem Syrus, utpote in urbe Arcena natus, Elagabali imperatoris conſobrinus, quaſi Syrum dici puduiſſet, ut ait Lampridius in ejus vita, tamen *videri originem de Romanorum gente trahere volebat*, expeditionem in Perſidem contra Artaxerxem, regem potentiſſimum, quem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

quem poſtea debellavit, animoſe ſuſceperit: tum juvenis, ut ex acclamatione Senatus poſt actum triumphum, cum primum apud Patres conſcriptos, Romam reverſus, verba habuerit, apud eundem Biographum patet: *vere Parthicus, vere Perſicus. Trophæa tua & nos videmus, victorias & nos videmus. Juveni Imperatori, Patri patriæ, Pontifici maximo* -- Bellum vero hoc Perſicum anno octavo hujus Imperatoris, h. e. A. Ch. CC. XXIX. inchoatum oſtendit accuratiſſimus horum temporum ſupputator, Antonius Pagius in Critica ad Annales Baronii: quam optimo cum fructu tum voluptate conſulat curioſus Lector. Neque enim harum Annotationum ratio patitur, ut in minutiis Chronologicis examinandis immorer.

Rutilius Criſpinus, (cui ſe in aſſiduum comitem dederat Zenobius noſter, illius lateri continenter adſiſtens, & vexillationibus ſive copiis auxiliaribus, præſertim ſuorum civium, hoc in bello Romanorum partes ſequentium, quæ præſto erant, vel commeatum ſuppeditando, vel per compendioſiores facilioreſque vias ducendo, ὑπηρετήσας) erat tunc temporis totius exercitus ſub Alexandro Præfectus. Illum vero confundi non debere cum Criſpino, qui una cum Juliano, tertio anni Severi h. e. A. Ch. CC. XXIV. juxta *(u)* faſtos ex codice Saviliano, & ex apographo Voſſiano, Regum apud Theonem canoni ſubjuncto, ab eruditiſſimo Viro D. Dodwello editos, faſtoſque alios, longe accuratiores & antiquiores, e codice MS. bibliothecæ Cæſareæ depromptos, & a V. Cl. Noviſio illuſtratos, conſulatum iniit, hinc manifeſtum fiet, quod diverſo prænomine inſigniatur. Criſpinus enim Con-

(u) In appendice ad diſſertationes Cyprianicas. pag. 100. 116.

Conſul non Rutilius, ſed Clodius erat appellatus: ut videre eſt, tum apud (*x*) Pagium in Cæſareorum conſulatuum ab Auguſto ad Marcum Aurelium rationario, quod ſumma cum accuratione ac diligentia congeſſit, tum apud celeberrimum Chronologum H. Noviſium in epiſtola Conſulari.

ΚΑΙ ΟΙΚΕΙΩΝ ΑΦΕΙΔΗϹΑΝΤΑ. In MS. ΚΑΙ ΟΥΚΟΝΙϹΩΝ ΑΦΕΙΔΗϹΑΝΤΑ. Locus ſane fœde corruptus. De vera lectione non convenit. Alii emendant, ὐκ οἰκείων - Sed particula negativa vix cum ſignificatione τῦ ἀφειδήσαντα convenire poteſt. Potius ergo ſimpliciter οἰκείων legendum erat. Quid autem obſtat, quo minus legam ΟΥΚΑΝΙϹΩΝ, vel ΑΝΙϹΩϹ, hoc ſenſu, *cum æquabilitate:* h. e. *abſque partialitate & affectu privato, non parcentem ſuis opibus, ſed eas largientem militibus promiſcue & indifferenter.* Sed in hac re plane hæreo. Fortaſſe legi oportuit ΕΥΚΟϹΜΩϹ, vel ΟΙΚΟΘΕΝ, ut in præcedente Inſcriptione, οἴκοθεν ἀναλώσαντα. Ita in ſylva dumetis obſita devii erramus, callem ſine duce fruſtra quærentes.

ΜΑΡΤΥΡΗΘΕΝΤΑ ΥΠΟ ΘΕΟΥ ΙΑΡΙΒΩΛΟΥ. Vide quæ ſupra annotavimus: quibus pauca hæc addere viſum eſt. Si pro Deo locali tutelarique Palmyrenorum habendus ſit Jaribolus, Zenobium laudis & approbationis, ob præclara ejus tum erga Romanos tum erga Patriam merita, teſtimonium, vel voce ex templi adytis, ubi colebatur, edita, vel qualicunque indicio ab eodem numine adeptum fuiſſe non male ſuſpicabimur. An vero Palmyra, urbeſve & regiones vicinæ hujus ficti numinis oraculo inclaruerint, hactenus non liquet. Sane ejuſmodi reſponſis olim ſuperſtitioſis cultoribus miſere deluſum erat, dæmonum, permittente

(*x*) Diſſert. Hypot. cap. XI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

Deo Opt. Max. verſutia, & technis fraudibuſque gentilium ſacerdotum, inde ſibi lucrum, honorem, & reverentiam veteratorie captantium: quales erant Hierophantæ illorumque miniſtri, Κήρυκες & Θεολόγοι, qui, ut præclare obſervat (*y*) Reineſius ad marmor Arundellianum num. IV. Deorum reſponſa ſciſcitantibus exhibuerunt.

ΙΟΥΛΙΟϹ. Supple, Philippus. Obſervarunt noſtri, nomen illud, quod ſequebatur, in Inſcriptione tum Græca tum Syriaca, quæ inde prioris, (quod de cæteris quoque pariter dicendum eſt) quantum linguæ genius patitur, rigida videtur eſſe verſio, ex induſtria plane eraſum fuiſſe: forte ex odio contra illum concepto propter cædem Gordiani in expeditione Parthica factam, ad delendam iſtius ſceleſti hominis memoriam. Annus æræ Seleucidarum IↃLIV. quo hoc monumentum erigebatur, reſpondet anno æræ Chriſtianæ partim CCXLII. partim CCXLIII. quo, Ariano & Papo Conſulibus, mortuo Miſitheo, (cujus filiam duxerat, idem Gordianus, iſtius nominis tertius) in ejus locum dicit Julius Capitolinus Philippum Arabem factum fuiſſe præfectum Prætorio: quod confirmat marmor hoc Palmyrenum. Puſillam vero iſtam mutilationem mox poſt ipſius obitum marmori illatam fuiſſe veriſimile videtur, pro more nimirum, quo plebs efferata in tyrannorum, quorum memoria, præſertim ob paricidium, execranda, ſtatuas, ſimulachra, & inſignia, deletiſque quoque ex foro, portis, ædificiis, monumentiſque publicis illorum nominibus, graſſari ſolet.

Ad duodecimum.

ΤΑΦΕΩΝΟϹ. Vox plane nova, nec apud Lexicographos

(*y*) Syntagm. antiquar. Inſcript. pag. 289.

phos reperienda; quæ tamen ex Grammatica analogia admitti poteſt. Ταφεὼν igitur nihil aliud eſt, quam locus ſepulchris plenus, & pari modo formatur, ac κοιλὼν, δενδρὼν, ἀμπελιὼν, & ejuſmodi plura.

Jus vero peculiare ſibi & familiæ ad honorem ſepulturæ in iſtis conditoriis, cæteris tanquam ab alieno ſolo excluſis, hoc monumento ſuis pecuniis erecto aſſeruit Septimius Odænathus.

Inter admiranda Palmyræ merito recenſeri debet Mauſoleorum, ut ea hic in tui, curioſe Lector, qui linguæ Anglicanæ plane inaſſuetus es, gratiam ex noſtratium Itinerario compendiaria quadam deſcriptione repræſentem, ſeries duplex, ad mille paſſus exporrecta: Mauſoleorum, inquam, ſic enim nuncupanda fateberis, ſibi invicem in adverſis viæ interpoſitæ lateribus reſpondentium. Ædiculas dixeris, ſive ut noſtri appellant, turriculas, in quadrum extenſas, inque quatuor vel quinque cameras partitas, quæ pulcherrimum intuentibus ſpectaculum præbent: omnes figuræ quidem pares, ſed magnificentia & ornatu longe diſpares, pro varia nimirum virorum, quorum corpora ſubtus recondita jacent, aut dignitate aut opulentia. Ex his quædam puro marmore integræ conſtabant, ut ex ruderibus liquet: quæ vero quoad exteriores partes e ſaxo vulgari dedolato conſtruuntur, parietes intergerinos, pariter ac pavimentum, marmore obtectos intus habent. Statuas aut integras aut umbilico tenus protenſas, quas Græci προτομὰς appellant, olim prominuiſſe, tum ex cavitatibus, tum ex iiſdem mutilis humi prope jacentibus, erat exploratiſſimum. Ubivis quoque cælaturæ artifici manu elaboratæ proſtabant, & imaginum picturæ, omni debita proportione ſervata, ad vivum delineatæ. Ita videntur Primores Magnateſque Palmyreni in hiſce con-

conditoriis exſtruendis contendiſſe, ut alter alteri ſumptibus & magnificentia anteirent, quaſi extra belli, terræmotus, aut temporis caſum fuiſſent poſita, & in omne ævum εἰς τὸ παντελὲς αἰώνιον τιμῆν, ſive *in honorem* tum ſui tum familiæ *abſolute & omnino ſempiternum*, ut hic ſibi blanditus eſt Odænathus, manſura. Ex ædiculis unam penitiſſime explorare placuit: a cujus oſtio, quod Auſtro objacet, recta excurrit porticus ad extremitatem uſque tecti. Strato aliquantulum effracto ac inde abrepto, inferiorem cryptam inſpicere & contemplari licuit; æquali prorſus modo partitam, intervallis alterutrinque pariter continentibus ſex loculos, parietibus medioxumæ craſſitudinis disjunctos, quorum ſinguli in ima parte recipiendo corpori humano vel maximæ molis ſufficiunt: in tota vero cavitate ſex aut ſeptem cadaverum ſimul congeſtorum, ſibique invicem, prout moris apud ipſos antique fuiſſe videtur, cumulatorum capaces. In tribus autem contignationibus ab oſtio ſurgentibus, cameræ eodem prorſus modo partitæ, unius ejuſdemque figuræ erant: niſi quod a ſecundo ſtrato loculi unius ſpatium gradibus, quibus ad ſuperiora fit aſcenſus, aſſignatur. At cum verſus faſtigium ædes quaſi in anguſtum ſint contractiores, non eadem loculorum ratio ſervari potuit: duabus quippe ſupernis contignationibus non æqualem partitionum numerum admittentibus: in quibus ſi quædam corpora reponerentur, id honoris Fundatori datum fuiſſe conjectando volunt noſtri, ut nimirum cæteris altiori loco, dignitatis & prærogativæ gratia, ſuperponeretur.

In qua vero hujus auguſti & elegantiſſimi ambulacri parte olim collocatum fuerit Odænathi conditorium, proculdubio illuſtre, magnificum, & digni-

tati

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

tati Senatoriæ, qua tunc inclaruit, congruum, animo concipere vix licet: nam lapis iſte, qui olim portæ πρ.φεῶνος imminebat, hanc epigraphen continens, inde ad alienum locum transfertur, utpote in oſtiolo, quo in aream intra amplum iſtum ambitum, quem olim occupaverat templum Beli, itur, hodie ſuperimpoſitus.

ΟΔΑΙΝΑΘΟΝ. Odænathus a ſuavitate & candore morum nuncupatus: خدنة, *chodanat*, *qui hominibus eſt amicus.* Nomen, ut videtur, apud Syros commune. Erat quidam ejuſdem nominis, diſcipulus Plutarchi, quem ἀπὸ Συρίας fuiſſe exertim dicit Suidas. Zoſimo Ὀδαίναθος, Zonaræ, & Georgio Syncello Ὠδέναθος, Agathiæ Scholaſtico Ὀδέναθος, (z) Petro, Patricio & Magiſtro, patria Theſſalonicenſi, qui floruit ſub Juſtiniano, Ὀδέναθος, pro quo male ibi excuditur ὁ Δέναθος, quaſi ὁ eſſet articulus, ſcriptoribus Latinis promiſcue Odenathus & Odenatus: uti ſculptum quoque reperi in nummo antiquo apud nobiliſſimum Virum, D. Joannem Cottonum Baronettum, ΟΔΕΝΑΤΟΥ. Joanni Malelæ Antiocheno, Scriptori futiliſſimo, diminutis abſciſſisque duabus prioribus literis, Ἔναθος

Maxime errare mihi videntur, qui *Enatum* cum *Ignatio*, quod erat Imperatoris Gallieni cognomentum, male intellecto, & ad partes fruſtra advocato (a) Patino, confundentes, nomen illud ab *Odenato* derivari volunt. Non ita dignitatem ſuam proſtituere ſoliti erant Imperatores Romani, ac ſi adſcititium titulum ab extraneo, utut bellatore ſtrenuo, & de illis

(z) In excerptis delegationibus ex hiſtoria illius, inter Scriptores hiſtoriæ Byzantinæ. tom. 1. pag. 29.

(a) Imperatorum Romanorum numiſm. pag. 414.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

illis bene merente, ſuis gentilitiis nominibus, quaſi novus familiæ ſplendor inde accreviſſet, abripere vellent. Certiſſimum eſt, Gallienum appellari *Ignatium*, tum ex nummo a Pruſæ ad Hypium fluvium ſitæ civibus in illius honorem percuſſo, cujus ectypum cum inſcriptione exhibet Patinus: ΠΟΥ. ΛΙΚ. ΙΓΝΑ. ΓΑΛΛΙΗΝΟϹ. tum ex lapide apud Fulvium Urſinum, & ex altero Patavii exſtante, in quo Gallieni nomen omittitur, quos erudite pro more explicat (*b*) Reineſius. *Egnatius* interdum ſcribitur, & communius quidem, quod plane idem eſt. Nomen autem Egnatii ante multa ſecula inclaruit. Marci Egnatii, qui erat Ædilis plebis, & poſtea Prætor, meminere Suetonius in Octaviano cap. XIX. & Dio lib. LIII. Plures ejuſdem cognominis memorantur a Cicerone, Seneca, Tacito, aliiſque. Nomen certe Latinæ originis, quod cum Romanis legionibus, ut veriſimile videtur, longe ante Trajani tempora in Orientem tranſibat, & inde quoque a Syris arreptum. Hinc nomen ſuum adeptus eſt ſanctiſſimus Martyr, Ignatius epiſcopus Antiochenus.

Quod vero ad τὸ ΕΝΑΤΟΥ in poſtica alius apud eundem Patinum nummi parte expreſſum ſpectat, illi per omnia ſimilem geminumque, optime conſervatum, adhucque priſtini nitoris retinentiſſimum, inter alios Gallieni, mihi communicavit Vir illuſtriſſimus, & omni elogio, quod præclariſſimæ mentis excelſæ dotes, antiqua & inconcuſſa fides, politioris literaturæ amor, eximiaque erga literarum ſtudioſos benignitas merentur, cumulandus, Henricus Comes Petriburgenſis:

ΑΥΤ. Κ. Π. ΛΙΚ. ΓΑΛΛΙΗΝΟϹ. ϹΕΒ.

E in

(*b*) pag. 317.

in averſa vero parte aquila , corollam in ore gerens ; cum ramuſculo ſuper alam ſiniſtram , ENATOY L. Cum vero nullus character, quo numerus ſignari ſolet , τῷ L. i. e. λυκάβαντος reſpondeat, illud ENATOY eſſe numerale adjectivum , & annum nonum , quo cudebatur iſte nummus, denotare ſatis conſtat, proindeque nec quicquam cum Ignatio , multo minus cum Odenato commune habere pro certo ſtatuendum eſt. Accedit, quod ſi proprium fuiſſet nomen , ab altera parte Gallieni nomini , ut in lapide & altero nummo fit, & caſu quidem recto, illud præponi debuiſſet.

Generis nobilitatem patris & avi nomina, hic , uti & in aliis Inſcriptionibus, pro more apud Palmyrenos Magnates , tum amoris erga defunctos tum honoris gratia , uſitatiſſimo , paſſim videre eſt , poſita oſtendunt. Potuit fortaſſe multo longiorem antiquioremque Progenitorum ſeriem recenſuiſſe : quam hac de cauſa dicit Zoſimus ἐκ προγόνων τῆς παρὰ τῶν βασιλέων ἀξιωθέντα τιμῆς. Non tam majorum meritis , quam ſapientia & virtute propria ad præcipuas dignitates & præfecturas poſtea evectus, a Pollione *Palmyrenorum Princeps*, alibi quoque *Rex* nuncupatur. Quo tempore hoc monumentum poſuit, erat tantum CYNKΛHTIKOC, inter Viros Conſulares, quales erant multi , paris dignitatis, qui rempublicam iſtam regebant, recenſitus: qua de cauſa a Sexto Rufo, quem S. Hieronymus in ſua verſione Chronici Euſebii ſequitur, tantum appellatur *Decurio:* i. e. Βουλευτὴς Palmyrenus. At ſane Agathias maxime lib. IV. erravit, hac Inſcriptione & melioris notæ Scriptoribus corrigendus, qui illum ἄνδρα ἀφανῆ τὰ πρῶτα καὶ ἄγνωστον vocat. Cum vero res Romanorum, quæ tunc temporis in Oriente peſſum ibant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

ibant, & erant deploratiſſimæ, Perſis profligatis, reſtituiſſet, Auguſtus a Gallieno, ignavo quidem, & ventri dedito, *inque omnem laſciviam diſſoluto*, renunciatus eſt, *participato cum ipſo Orientis imperio.* Quæ vero de Odænathi fortitudine, prudentia, præliis, victoriis, ſumma per univerſum fere Orientem, qua pollebat, rerum adminiſtratione, deque illa miſeranda cæde a Mæonio conſobrino perpetrata, item de fortiſſima ac ſpecioſiſſima fœmina, Zenobia conjuge, filiiſque, apud Pollionem, Vopiſcum, Zoſimum, alioſque Scriptores fuſe, ſingillatim, & diſtincte juxta temporis ſeriem habentur, cum ea omnia cuivis hiſce literis vel leviter tincto ſatis obvia ſint, ut hic ad nauſeam Lectoris repetantur, nec decet nec convenit.

ΑΙΡΑΝΟΥ ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟΥ. Ita in MS nullo articulo interveniente. Hæc enim duo nomina ad patrem Odænathi pertinere mihi quidem videntur: eo quod quemlibet ſuperiorem gradum in recta ſtemmatis genealogici linea, interpoſito articulo præpoſitivo ΤΟΥ, accurate diſtingui cæteræ Inſcriptiones doceant.

ΤΟΥ ΝΑϹΩΡΟΥ. Νάζωρος a نصر, *naſara*, *juvit*; *defendit:* inde ناصر, *naſir*, *adjutor*, *defenſor.* Nomen apud Arabes ſatis commune: & نصور, *noſur*, & نصر, *noſar*, ejuſdem ſignificatus. Sæpiſſime ingreditur compoſitionem propriorum nominum, quibus adjungi ſolet tam in fine quam in principio: ut *Nabonaſarus*, rex Babyloniorum; *Nabuchodonoſorus*, qui Hieroſolyma expugnavit; *Naſireddin*, *adjutor juſtitiæ*, *Abunaſir*, *pater adjutor*, *Naſiroddaula*, *adjutor victoriæ*, *Almalech alnaſir*, *rex adju-*

tor, & plura ejuſmodi, quæ, tanquam elogia aliis diſtinctivis nominibus præpoſita, in Abulpharagio, Elmakino, cæteriſque hiſtoriæ Saracenicæ Scriptoribus ubivis occurrunt.

ΕΙϹ ΤΟ ΠΑΝΤΕΛΕϹ ΑΙΩΝΙΟΝ ΤΙΜΗΝ. In Inſcriptione prima ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΑΙΩΝΙΟΝ ΓΕΡΑϹ. Ita ex ſepulchralium monumentorum & ſtatuarum magnificentia æternitatem famæ ſibi ſpoſponderunt. Antiochiæ in luco Daphnes ſtatuæ inſcriptum, ΑΡΤΑΒΑΝΩΙ Η ΜΝΗΜΗ ΑΙΩΝΙΑ: apud Reineſium pag. 819. ut cætera ſimilia, quæ apud eundem & Gruterum reperienda ſunt non exſcribam. Hinc Chriſtiani poſterioribus ſeculis formulam ſuam, *Æternæ memoriæ*, mutuati ſunt.

Dolendum eſt omnino characteres Syriacos, (qui hic, uti & in omnibus fere marmoribus Palmyrenis, quæ luſtrantium oculis ſeſe ubivis objecere, ſubtus inſculpuntur) non eſſe accuratius deſcriptos, quorum ſubſidio tum veterum Syrorum ſcriptura, quæ per tot ſecula latuit in lucem & uſum revocari, tum Græcæ Inſcriptiones melius intelligi poſſent. Nam veriſimile videtur, unam eandemque rem utraque lingua ſignificari, ut tum concives tum adventores e Græcia & Aſia minori, quiſque nimirum in ſua lingua, propriis characteribus, quibus aſſueverint, ſignata, de laudibus defunctorum ſine ope interpretis facilius & quaſi primo intuitu informarentur.

Ad tertium decimum.

ΖΕΒΕΙΔΑΝ. *Zebeides* commune Syrorum & Judæorum nomen, idemque cum *Zebedæo*, paſſim in ſacris Evangeliis memorato. Contracte Zabdas: ita nuncupatus præfectus exercitus, quem ad ſubigendam Ægyptum miſit Zenobia: Ζάβδας ὁ Ζηνοβίας ϛρατηγὸς

Zo-

Zoſimo; male Pollioni Sabas, & Vopiſco Zabas. Zabdas Hieroſolymorum viceſimus ſeptimus epiſcopus apud Euſebium in Chronicorum libro poſteriore.

Imperfecta, quæ ſequuntur, Syriaca ſunt, & fortaſſe agnomina Zebeidæ.

Cuivis notiſſimum eſt, Vologeſiadem eſſe urbem ad Euphratem infra Babylonem ſitam, quam tempore Neronis condidit Vologeſus, rex Parthorum. Stephanus περὶ πόλεων: Βολογεσίας, πόλις πρὸς Εὐφράτην, ἐκ Βολογήσου βασιλέως ᾠκισμένη. Urbs hæc Ammiano Marcellino lib. XXIII. Vologeſſia, (c) Plinio rectiſſime, Volegeſocerta i.e. Vologeſi civitas. Ita enim *Kerta* ſignificat Syriace. Inter hanc urbem & Palmyram renovatum erat commercium, quod nuperum ſub Gordiano bellum interruperat: (ἐνπόροιαν certe in editis exemplaribus male ponitur pro ἐμποείαν) operam utiliſſimam hac ex parte impendente Julio Aurelio Zebeida, cujus beneficii gratam memoriam recolentes, ſocii itineris, monumentum hoc honoris gratia illi dedicarunt.

Ad quartum decimum.

CΕΠΤΙΜΙΟΝ ΑΙΡΑΝΗΝ. Hoc baſi columnæ inſcriptum. Septimius Æranes, vir ſenatoriæ dignitatis, filius Odænathi, dum adhuc privatus erat pater, licet ſplendidis natalibus, ut ex ſuperioribus liquet, ortus, nec adhucdum purpura indutus, quando nimirum monumentum hoc in honorem Æranis erigeretur: aliter non nudo nomine appellandus. De hoc Ærane penitus ſilent hiſtoriæ.

Cætera quæ ſequuntur, in ſcapo ejuſdem columnæ exſtant.

(c) Nat. Hiſt. lib. VI. cap. 26. *Nuper Vologeſus rex aliud oppidum Volegeſocertam in vicino condidit.*

ΕΞΑ... ΝΤΩΝ ΑΥΡΗΛΙ... Ρ. ΗΛΙΟΔΩΡ. CΤΡΑΤΙΩΤΗC ΛΕ.... ΚΗC ΤΩΝ ΠΑΤΡΩΝ. Ita in exemplari manuſcripto. Aurelius Heliodorus miles ordinarius legionis CΚΥΘΙΚΗC *Scythicæ:* (ſic enim lacuna impleri poteſt) Scythica enim quarta legio caſtra ſtativa in Syria habuit; uti teſtatur Dio lib. LV. * cui Severum poſtea Imperatorem olim præfuiſſe dicit Spartianus: vel ΠΑΡΘΙΚΗC *Parthicæ*: Parthicas enim primam & tertiam eundem Severum quoque in Meſopotamia, vicina Syriæ, & a qua interfluo Euphrate dirimitur, inſtituiſſe aſſerit idem nobiliſſimus Hiſtoricus: quibus poſtea † quarta addebatur. Facilis inde ad Syriam, prout res tulerint, tranſitus: facilis etiam caſtrorum mutatio. Cum vero conſtet ** ex Notitia dignitatum imperii Romani, non ſolum Equites Scutarios, alioſque Illyricianos in Palæſtina, Arabia, Syria, Euphratenſi, Oſrhoena, & Meſopotamia collocatos fuiſſe, ſed etiam peculiariter *** *præfecturas legionis primæ Illyricorum* Palmyræ manſiſſe, libentius admitterem ΙΛΛΥΡΙΚΗC legi oportere, ni obſtaret, quod in ſpeciali legionum, quas ſuo tempore reſtare teſtatur, recenſione, *Illyricæ* ſive Illyricianæ non meminit Dio. Floruit ille circa A. C. CC. XXVIII. Hæc ergo legio inter Dionis & Notitiæ illius Collectoris, quem certum eſt longe poſt Conſtantinum Magnum vixiſſe, tempora videtur in Syriam introducta: an vero tam paucis, viginti circiter aut triginta, poſt Dionem annis, (monumentum enim hoc tempore non multo inferius eſt, utpote A. C. CC. LI. erectum) id plane eſt incertiſſimum & merito dubitari po-

* V. quoque Notitiam dignitatum Romani imperii ſect. XXIV.
† V. Sect. XXV.
** Sect. XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVI.
*** Sect. XXIII. Sub diſpoſitione Ducis Phœnices.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

poteſt. Ad hæc accedit, quod in iſta ingenti marmorum hodie exſtantium, quæ legionum cæterarum nomina oſtentant, mole legio *Illyricæ* cognomento aut titulo, quantum ſcio, (neque enim hoc præſidenter ſtatuere auſim) prænotata non occurrat.

Beneficiorum memor & gratitudinis ſenſu tactus, noſter miles Patronum ſuum, ΤΟΝ ΠΑΤΡΩΝΑ, (ita enim legendum eſt) hoc honorario monumento, quod ΕΞ ΑΡΚΟΥΝΤΩΝ, (modo cum venia vacuum ſpatium hoc modo implendum ſit; τὰ autem ἀρκοῦντα *quæ ſufficiunt*) hoc eſt, ex ſuis moderatis opibus, quas labore, continentia, & frugalitate, ſatis pro mediocri ipſius fortuna, collegerat, colit & veneratur.

Male, ut puto, confunditur miles noſter cum Lucio Aurelio Heliodoro Palmyreno, cujus mentio in epigraphe tabulæ marmoreæ apud Romam in hortis quondam Carpenſibus, quam edidit Joſephus Scaliger in libro v. de emendatione temporum, Gruterus in magno & immortali ſuo opere Inſcript. LXXXVI. 8. & non ita pridem Sponius tum in curioſis Inquiſitionibus Gallice ſcriptis, tum in Miſcellaneis eruditæ antiquitatis cum elegantibus figuris reliquoque ornatu: non ſolum quod diverſo prænomine inſigniantur, nec illud, quo conveniunt, eodem ordine collocetur, hic nimirum Lucius Aurelius dictus, ille Aurelius .... P. h. e. vel ΕΡ. ΟΥΑΛΗΡ. ΤΙΒΕΡ. ΚΟΡ. ΜΑΡ. *Herennius*, *Valerius*, *Tiberius*, *Cornelius*, *Marcus*, aut ejuſmodi: ſed quod ille etiam miles gregarius eſſe videatur, CΤΡΑΤΙΩΤΗC, gente Romanus, ſtipendio ordinario in legione ſive Scythica ſive Parthica merens, nullaque ornatus dignitate: hic vero civis Palmyrenus, nobili proſapia, ut videtur ex patris Antiochi nomine adjecto, prognatus, nec militari fungens mu-

 nere,

nere, cujus mentio ſit in ſequente Inſcriptione, aſſumpto Hadriani nomine (* neque enim hæc lectio mihi videtur ſolicitanda, licet Triſtanus, & ut ipſe ait, Henricus Valeſius reponere velint ΑΔΡΙΑΝΕΥϹ) qui de ipſius urbe natali meritus eſt, & cui non modicam magnificentiæ partem debuit, utpote quem novum quaſi Fundatorem, Κτίστην, agnoverunt colueruntque cives, inde, ut teſtatur † Stephanus Byzantinus, Αδριανοπολῖται nuncupati: & præterea quod monumentum iſtud Romanum tam affabre & belle politum, patriorum numinum, quibus argenteam ſtatuam (σίγνον σὺν παντὶ κόσμῳ) omni debito apparatu decoratam dedicavit, imaginibus, interpoſita pino, in intercolumnio ſculptis, ab homine privatæ ſortis, quales erant milites legionarii, vix aut ne vix quidem exſtrui poſſit. Nec mihi quidem videtur veriſimile, militem noſtrum illum aliqua cognatione attigiſſe, multo minus filium fuiſſe: licet anni æræ Seleucidarum in utriſque monumentis ſignati ambos ſimul florere potuiſſe facile admittant. Quippe Heliodori nomen apud Romanos iſtorum temporum ſatis commune erat, & a multis militibus aut proletariis longe diverſi generis, ex clientela præpotentis cujuſpiam viri, familiæ principis, ita nominati, aut alias ob cauſas aſſumptum.

Ad quintum decimum.

ΛΟΥΚΙΟΥ ΑΥΡΗΛΙΟΥ ΗΛΙΟΔΩΡΟΥ. Vide quæ ad antecedentem Inſcriptionem annotavimus.

Ad

* Eruditiſſimus Noviſius contendit Αδριανὸς eſſe nomen adjectivum, idemque eſſe ac civem Hadrianæ i. e. Palmyræ: licet concedat illud nomen Αδριανεὺς rectius efformari oportuiſſe. De Epochis Syro-Macedonum diſſert. II. cap. III. ſect. 2.

† Stephanus in Πάλμυρα. Οἱ δὲ αὐτοὶ Αδριανοπολῖται μετωνομάσθησαν, ἐπικληθείσης τῆς πόλεως ὑπὸ τοῦ Αὐτοκράτορος.

Ad ſextum decimum.

ΠΟΥΠΛΙΟΝ. In MS. . . ΥΠΙΛΙΟΝ. Opilius, vel potius Rupilius Vorodes, ſi non frater Septimii Vorodis, de quo proxime, ſaltem ejuſdem ſtirpis & familiæ cognatus, & illi *σύγχρονος*. Quis Syrus iſte *Belacaboſarſa*, qui amicum ſuum hoc monumento honorat, deletis Palmyrenorum tabulariis & hiſtoriis, penitus ignoratur & latet. Nomina Deorum honoris cauſa Regum, Principum, Magnatumque nominibus præfigi ſolere notius eſt, quam ut probatione egeat. A Belo igitur celebratiſſimo Phœnicum derivatur, cum additamentis ex eadem lingua petendis: قابوس عرشر, *kabos arsha*, quaſi *pulcher ſolio, vel pulcher gloria, vel pulcher præfectus & rector populi.*

Ad nonum decimum.

ϹΕΠΤΙΜΙΟΝ ϹΥΟΡΩΔΗΝ. Ex quo Oriens victricibus Romanorum armis ceſſerat, Syros ſuis nominibus propriis, quibus inter concives & contribules dignoſcerentur, ſive ad gratiam victorum aucupandam, ſive ex affectatione & amore novitatis, illorum quoque prænomina præfigere ſolitos fuiſſe hæ Inſcriptiones ſatis clare demonſtrant. *Septimii* vero prænomen magni apud ipſos præcipuæque authoritatis Viri impendio & quaſi certatim arripuere, quales hic Vorodes, ipſe Odænathus, illius uxor Zenobia, filiuſque Airanes, & illorum exemplo omni proculdubio non infimi gradus quamplurimi alii: nimirum ob honorem & memoriam fortiſſimi Imperatoris, Septimii Severi, qui Syriam Armeniamque feliciſſime emenſus, Parthis, Arabibus, Oſrhoenis, Adiabenis, cæteriſque illarum regionum populis ſuperatis, perennia victoriarum & famæ mo-

numenta apud illos undiquaque reliquit: cujus nomen Palmyreni, benignitatis erga majores præſtitæ, & beneficiorum, quibus de patria meritus fuerat, ex grato animo fortaſſe conſcii, obſoleſcere noluerunt.

ΟΥΩΡΩΔΗΝ. *Orodes* nomen erat regis Parthorum, filii Phraatis, qui Craſſum profligavit. V. Dionis Caſſii hiſtoriæ Romanæ lib. XI. Vorodes autem a fulvo colore dictus, ab Arabico nimirum ورود, *voroad.* Non multum abludit Herodes, nomen apud Idumæos & Judæos ſatis notum: quo etiam Odænathi filius natu maximus ex priore conjuge nuncupabatur. Sed hoc mihi videtur eſſe diverſæ originis.

ΕΠΙΤΡΟΠΟΝ ϹΕΒΑϹΤΟΥ ΔΟΥΚΗΝΑΡΙΟΝ. Ἐπίτροπος tributorum nomine Principis exactor, & ipſius in colligendis publicis pecuniis Procurator, &, ut ſequioris ævi vocabulo utar, *Agens.* Ejuſmodi Procuratores, juxta ſapientiſſimi imperatoris Auguſti inſtitutum, in Provinciis Romanorum ditioni ſubjectis, una cum Præſidibus, quibus vitæ neciſque poteſtas concredebatur, miſſi erant. Ex his Provinciis, quædam peculiari Cæſarum juriſdictioni, quædam, inde *populi Romani Provinciæ* dictæ, Senatus curæ & regimini ſuberant: in his liberti, in illis vero viri equeſtris dignitatis pecunias fiſcales publicosque reditus exigebant: quod ex * Dione conſtat. Ex hoc ordine erant Coponius, Pontius Pilatus, aliique Procuratores Judææ, & uterque avus Cn. Julii Agricolæ, quod tanquam rem certam longoque uſu ſtabilitam in ipſis ſoceri ſui vitæ initiis ſtatuere videtur Tacitus, ipſe quoque Eques, & Belgicæ Galliæ Procurator. Hi *Procuratores Cæſarum* ſive *Auguſtales* peculiariter appellati. Licet vero Procuratorum munus ad pecuniarum rationes, cæteraque,

* Lib. LIII.

quæ ad ærarium ſpectabant, ex vi primæ inſtitutionis pleraque ex parte reſtringeretur, tamen abſentibus Præſidibus, & quandoque alias, literarum imperatoriarum auctoramento muniti, in cæteris rebus adminiſtrandis ſummam exercuere poteſtatem, utpote loco & vice Præſidum conſtituti, illorumque partibus fungentes. Quod de Coponio ex Joſepho, deque Pontio Pilato ex ſacris Evangeliis certiſſime conſtat. Interdum unus idemqum erat & *Præſes & Procurator:* ut poſt Gutherium oſtendit Vir maximus, & a me nunquam ſine præfatione honoris & reverentiæ nominandus, D. Joannes Pearſonus, nuper Epiſcopus Ceſtrienſis. Poſtea Procuratores nuncupati erant *Ducenarii*, iſthoc titulo, licet inferioris curiæ & cenſus judicibus ab Auguſto Cæſare conſtitutis, qui in cauſis plebis infimæ diſceptandis de levioribus ſummis cognoſcerent, olim competiiſſet *, ſuccedentibus ſeculis ad denotandam hanc eminentem dignitatem translato, quem a ſtipendio ducentorum ſeſtertiorum, quod ex ærario percipere ſolebant, Procuratoribus inditum fuiſſe expreſſe ſtatuit † Dio: cui ſi originem vocis inde ab ipſo pecuniarum numero petendam eſſe concedamus, certo tamen liquet, vel illo fatente, ſtipendium illud pro dignitate Procuratorum aut Provinciarum, quarum reditus colligebant, ſæpenumero variari. Sane munus erat magnæ auctoritatis, nec minus ſplendidum ac illuſtre. Non enim ſolebant Ducenarii palam prodire, niſi δορυφορούμενοι, ſive ſatellitum caterva muniti & ſtipati: qualem pompam, faſtuoſam quidem, & quæ viro ſacris eccleſiaſticis ex voto & profeſſione dedito neutiquam conveniebat,

Paulo

* Sueton. in Octavio Cæſare Auguſto. Sect. xxxii.
† Lib. liii.

Paulo Samoſatenſi, Antiochiæ epiſcopo, iſtam dignitatem a Zenobia religioni ritibuſque Judæorum addicta, cujus auſpiciis & patrocinio iniquiſſime ſuperbiens, ſe ſuamque hæreſin, Catholicis diu fruſtra oppugnantibus, tueri auſus eſt, conſecuto, Antiſtites in iſta urbe ad illius impium peſtiferumque dogma, ne Orthodoxorum animis ſenſim irreperet, diro anathemate averruncandum congregati, merito exprobrarunt in epiſtola ſynodica apud * Euſebium, quaſi ſacra epiſcopalis dignitas præ hac nova ſeculari, quam ambitione & typho exagitatus arripuerat, omnino ſorduiſſet. Δουκηνάριος μᾶλλον ἢ ἐπίσκοπος θέλων καλεῖσθαι: ut cætera vanitatis & arrogantiæ, qua tumebat, indicia & argumenta non exſcribam.

Sed de *Procuratoribus Ducenariis* Lectorem curioſum, delicatique oris & ſtomachi, ne illi crambe centies cocta ad nauſeam uſque obtrudatur, remitto ad Scaligerum in Manilium †, Caſaubonum & Salmaſium ad Capitolinum in Pertinace, Rigaltium ** ad S. Cypriani epiſtolam LXVII. Gutherium de officiis domus Auguſtæ paſſim, Du-Freſnium in utroque Gloſſario mediæ & infimæ Græcitatis & Latinitatis, & præcipue D. Pearſonum, qui hanc rem accuratiſſime tractavit in Adnotationibus ad articulum Symboli Apoſtolorum de crucifixione B. Salvatoris ſub Pontio Pilato.

Septimium Vorodem ſumma Procuratoris, ut puto, Gallieni (neque enim a veroſimile abludit, Romanos Imperatores reditus quoſdam e regione Palmyrena percepiſſe) poteſtate tunc temporis inſtructum fuiſſe oſtendit τοῦ κρατίστου elogium & blanda compellatio,

* Hiſt. Eccleſ. lib. VII. cap. 30.
† Edit. Lugduno-Batavæ 1600. pag. 166.
** Edit. Oxon. pag. 174.

latio, qua illum non ſolum amicum ſed patronum ſuum agnoſcit Julius Aurelius Ealmes, Eques Romanus, quem vix aliter pro dignitate equeſtri, quam adeptus eſt, ſeſe in clientelam illius recipere voluiſſe, jure merito ſuſpicabimur.

ΑΡΟΑΠΕΤΗΝ. Variatum eſt in hoc vocabulo hactenus plane incognito exſcribendo, literis aut fractis aut exeſis aut præ vetuſtate evaneſcentibus. Aliud enim exemplar in Actis Philoſophicis editum habet ΑΡ.. ΑΠΗΤΗΝ; errore ſatis luculento & cuivis vel maxime obvio: veram autem lectionem reſtituere non adeo facile erit. Alii Αρϛαγήτην i. e. *Præfectum annonæ:* alii longe probabilius, Αρχαγέτην i. e. *Principem familiæ*, φύλαρχον, ſive ſenſu reſtricto Εθνάρχην. Sed neutra emendatio mihi placet. Vox prior plane nova eſt: & quod ad alteram lectionem ſpectat, non parum obeſt, quod hic non de ſplendore & prærogativa natalium, aut de genere & familia ipſius agi videtur: quæ enim connexio aut convenientia inter Procuratorem Auguſti Ducenarium & φύλαρχον fingi poterit? Potius vox illa, qualis qualis fuerit, ad caſtrenſis & armatæ militiæ, quem obtinuit, munus, titulum, & honorem referenda eſt. Quidni ergo ΛΟΧΑΓΕΤΗΝ, *Præfectum cohortis militum præſidiariorum* legamus? Α pro Λ ſæpe hic & alibi exſcribi ſolere, aliaſque literas male aut invicem mutatas aut transpoſitas fuiſſe ex feſtinatione ſatis liquet. Si literarum ſpatiola illud paterentur, quo dignitati Procuratoriæ hæc militaris præfectura aliquatenus reſpondeat, legerem ΣΤΡΑΤΗΓΕΤΗΝ. Sed pudet ulterius hariolari.

ϹΑΛΜΗϹ. In MSS. exemplari ΕΑΛΜΗϹ. Utra lectio verior ſit, dubitari poteſt. Plane videtur eſſe nomen Syriacum. Suis autem nominibus indigenas Syros Græ-

Græcas terminationes ad majorem gratiam & ſuavitatem pronuntiationis apud Romanos hoſpites & adventores addere ſolitos fuiſſe ex hiſce Inſcriptionibus abunde liquet. Videtur ergo Ealmes, ſi iſta lectio retineatur, ab عالم, ſive عليم, *alim*, derivari: quæ voces *virum ſapientem rerumque peritum & ſcientem* denotant. Sed obſtat, quod Ιππεὺς Ρωμαίων appelletur; cum notum ſit, imperii Romani rectores pro prudentia ſua advenas & exteros, tam in Provinciis quam in municipiis, de populo Romano bene meritos, honoris & benevolentiæ, ne dicam blanditiarum & aſſentationis cauſa, in ordinem equeſtrem adſciſcere conſueviſſe. Ad verſus iſtos Juvenalis Satyra VII.

Faciant Equites Aſiani,
Quanquam & Cappadoces faciant, Equitesque Bithyni:

annotavit vetus Scholiaſtes, *Equites Romani ex Græcis facti.*

Ad viceſimum.

Monumentum, quod præcedit, ſolus ille Julius Aurelius in honorem Septimii Vorodis erexit: hoc vero juncta aliorum opera & impenſis. Non enim hæc omnia nomina ad unum eundemque hominem pertinuiſſe videntur. Puilſus, M.... O C. (an Melenæus, an Malchus, an Mannæus) Malocha, Naſſumus, Syriaca nomina ſunt, quorum explicatio a Syrorum Arabumque linguis petenda eſt. Vocabula appellativa ejuſdem ſoni in utraque lingua occurrunt, quæ in propria nomina & cognomina gentilitia tranſiiſſe quiſpiam cum venia dixerit. Sed in re obſcuriſſima con-

jecturas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

jecturas plane incertas inaneſque proferre omnino pudet. Vereor autem, ne verba iſta Ο ΚΡΑΤΙϹΤΟϹ perfunctorie deſcribantur. Vix enim quiſpiam ſe τὸν κράτιϛον in monumento Patroni & Amici famæ dedicato præ modeſtia appellarem, licet titulus aliter dignitati ſuæ deberetur. Forte hic denotatur quoddam munus, quod Malocha iſte ſub Naſſumo obibat.

Ad primum viceſimum.

Quiſpiam jure mirari poteſt, plura monumenta Latinis characteribus inſcripta in iſta ingenti ruderum, quæ apud Palmyram ſuperſunt, mole hodie non exſtare. Saltem hoc unicum curioſis Peregrinantium, dum huc illuc per plateas & vicos urbis vagarentur, oculis tantum ſeſe ſubjiciebat, ultra extremitatem porticus, in ruderibus magnifici palatii, & puritatem marmoris exquiſitioremque operis elegantiam & artem cæteris præferendi.

. . . . . . ES ORBIS. Lacuna ex aliis marmoribus, quæ ubivis fere gentium, quas virtus Romanorum penetraverat, adhuc reperiuntur ſupplenda: RESTITVTORES ORBIS, PACATORES ORBIS, RECTORES ORBIS, admodum frequenter: interdum CONSERVATORES ORBIS, licet rarius, & iſtiuſmodi.

Deſcriptor obſervavit nomen Maximiani Herculii, quem ante paucos annos in conſortium imperii aſſumpſerat Diocletianus, fuiſſe ex induſtria abraſum. DIOCLETIANVS ET MAXIMIANVS INVICTISSIMI IMPERATORES: quod eſt frequens illorum elogium. Anno Chriſti CC. XCVII. juxta accuratiſſimos Pagii calculos, quo Galerius Maxi-

mianus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

mianus * bellum contra Perſas, expugnato in Armenia majori Narſeo rege, & Meſopotamia recuperata, feliciter confecit, Maximiano Herculio Auguſto V. & Galerio Maximiano Cæſare II. Coſſ. ut adnotavit Idatius in ſuis faſtis Conſularibus, vel anno ſaltem ſequente, caſtra hæc a Diocletiano, qui tunc in Meſopotamia moratus eſt, provido conſilio condita erant, tum ut Perſarum in Syriam vicinaſque Provincias Romanorum ditioni ſubditas, commodius illi repellerent, tum ut hiſce propugnaculis muniti, ab omni ſubitaneo indigenarum impetu, cum pax inter limitaneos plerumque infida eſſe ſoleret, tutius agerent. Caſtra hæc ad Cercuſium collocata fuiſſe extra dubium ponit Ammianus Marcellinus libro XXIII. qui ſub Juliano in Perſica expeditione militavit, & præſidium iſtud præſens exploravit, cujus deſcriptionem veritati, quam hauſit oculis, congruam, nec tamen elegantiis vacuam, hic apponam: *Adſcitis Saracenorum auxiliis, quæ animis obtulere promptiſſimis, tendens Imperator facili gradu Cercuſium, principio menſis Aprilis ingreſſus eſt munimentum tutiſſimum & fabre politum, cujus mœnia Abora & Euphrates ambiunt flumina, velut ſpatium inſulare fingentes. Quod Diocletianus exiguum antehac & ſuſpectum, muris turribuſque circumdedit celſis, cum in ipſis barbarorum confiniis interiores limites ordinaret, ne vagarentur per Syriam Perſæ, ita ut paucis ante annis cum magnis Provinciarum contigerat damnis.* Caſtellum hoc, Κιρκήσιον, φρούριον ἔσχατον, in extremis Romani imperii in Oriente finibus poſitum, ſive ex Ammiano ſive ἐξ αὐτοψίας aut aliunde, pari prorſus modo deſcribit Author

* V. Eutropium libro IX. & Sextum Rufum in Breviario.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

Author graviſſimus, * Procopius, qui addit, Juſtinianum Imperatorem illud, aut ignavia militum præſidiariorum neglectum, aut temporum injuria, fluviorumque, quorum ripis inſidebat, alluvionibus labefactatum, novis propugnaculis firmaviſſe.

Poſt hoſce certiſſimos teſtes aliorum Hiſtoricorum & Geographicorum authoritatem ad fidem faciendam adſciſcere omnino ſupervacaneum foret, & otioſi hominis laudem in re levicula affectantis eſſe videretur.

. . . . *ntes Oſſiano Hieroclete.* Proculdubio marmor iſtud epigraphen literis majuſculis Lectoribus viſendam exhibet, licet in exemplari, quod ſequimur, in Angliam transmiſſo, minutioribus contra iſtorum temporum perpetuum uſum deſcribatur: & omnino male. Hoc modo videtur melius efformanda.

. . . . NTE SOSSIANO i. e. CVRANTE, vel PONENTE, vel ERIGENTE. Oſſianus nomen hactenus incognitum, nec apud antiquos Scriptores, ut puto, reperiendum. Soſſiani autem nomen a Soſſio derivatum, Hierocleti V. P. i. e. Viro perfectiſſimo, (hoc enim titulo interdum gaudebant Præſides ſive Præfecti Provinciarum) inditum erat, pro more apud Romanos nomina familiarum, in quas transirent, aut quas aliqua cognatione attingerent, cum parva variatione aſſumendi, ut ab Æmilio, Valerio, Aurelio, Æmilianus, Valerianus, Aurelianus, & ſexcenta ejuſmodi, aut ex nimia affectatione & ſtudio placendi delicatulis Romanorum auribus. Ita Herodes, filius Odænathi, in nummis appellatur Herodianus, & Diocles Dalmata poſt ſuſceptum imperium

* De ædificiis Juſtiniani lib. 1. pag. 6. & de bello Perſico lib. 11. cap. 5. pag. 97.

perium voluit nuncupari Diocletianus. C. autem Soſſius (ita ſcribit Dio † media litera geminata) Syriæ & Ciliciæ a Marco Antonio præficiebatur, &, ut habent Faſti a Sigonio editi, Proconſul ex Judæa anno urbis conditæ DCC. XIX. nonas Septembris Romæ triumphavit. Ab hoc viro, ſi non genus, ſaltem nomen duxiſſe Diocletem, Provinciæ hujus partis Syriæ circa Palmyram Præfectum, non abs vero abludere videbitur.

Ad ſecundum viceſimum.

Condita erat hæc eccleſia ſub Sergii Epiſcopi temporibus, ipſius cognato Maronio tunc Chorepiſcopo.

† Lib. xlix.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [3]

7

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
383 K 16 [1]